ANTONII GARDINI

LECTORIS CAMALDULENSIS

DISSERTATIO THEOLOGICA

ADVERSUS NOVITATES

P. JOSEPHI M. GRAVINA

Soc. Jes.

Cæli januas reſerantis non ſolum Hæreticis, & Schiſmaticis, verum etiam Hebræis, Mahometanis, cæteriſque Infidelibus; ex quibus, univerſa hominum ſpectata natura, majorem deſumit Electorum, quam Reproborum numerum.

Ex ipſo ordine manifeſtatur id eſſe Dominicum, & verum, quod ſit prius traditum: id autem extraneum, & falſum, quod ſit poſterius immiſſum. Tertull. in lib. de præſcript. cap. 31.

VENETIIS

APUD SIMONEM OCCHI

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO

MDCCLXVII.

Illuſtriſſimo, & Reverendiſſimo Domino

JOANNI NANI

EPISCOPO TORCELLANO.

ANTONIUS GARDINI.

DUm *COMMUNIBUS VOTIS ANNUS I. FELIX, FAUSTUSQ. APERITUR tui Regiminis Torcellanæ Eccleſiæ*, ILLUSTRISSIME, & RE-

VERENDISSIME DOMINE, *æquum eſſe videtur, ut qui tibi multis nominibus plurimum debet, nunc grati animi ſpecimen tibi OBLATIONE DEVOTA exhibeat. Hæc præcipua cauſa fuit, quæ me impulit, ut Theologicum hoc munuſculum, quantumvis exiguum, nec mole ipſa ſpectandum, argumento tamen ſummum, tibi ſacrum hodie, dicatumque voluerim. Quid autem carius tibi, atque acceptius excogitari poteſt, quam quod ex iis petitum, quæ maxime adamare ſoles, quæ tuum veluti pabulum, quæ tuum præcipuum decus conſtituunt, ac ornamentum? Theologicas intelligo diſciplinas, ad quas tibi comparandas ſtatim ac de capeſſenda Eccleſiaſticæ vitæ ratione Divino afflatus lumine cogitare cœpiſti, ſtudium omne, operamque conferre non dubitaſti. His ſubciſivas, horas his integros fere dies deputare tibi familiare fuit. Quod ſi cauſa perſolvendi ſocialis vitæ munera, quæ ſingulari quadam humanitate continuo perfuſa erant, quod ti-*

bi

bi & nunc animo inſidet, ab iis aliquando removeri patiebaris, non ideo tamen animus ab iis longe aberat, qui capta occaſione ad ea ſermonem conferre ſtudebas, quibus maxime delectaris; nec ſuavius quidquam tibi contingere poterat, quam ſi quis in Theologica aliqua pertractanda doctrina ſolide verſaretur. Eo factum eſt, ut omni animi contentione ad ſacra ſtudia incumbens, brevi admodum ex ea qua polles, ingenii acie non qualemcumque, ſed excellentem, & vere Eccleſiaſtico viro dignam doctrinam ſis conſecutus, quæ morum integritate, & ſuavitate conjuncta, prudentia, dexteritate, ſolertia ad Epiſcopatus dignitatem te demum, quamvis invitum, evexit. Invitum te, inquam, novi egometipſe, dum ob ſingularem tuam animi modeſtiam eam de re loqui minime patiebaris; ſed obnixe omnia faciebas, ne ad tantum honoris faſtigium proveheretis. Cum autem Dei voluntas ſatis tibi perſpecta exſtitit, ei minime obſequi irreligioſum jure

æſtimans, illi tandem lubenti animo morem geſſiſti. Atque ſtatim Paſtoralis officii partes implere ſatagens, eo intenderunt cunctæ cogitationes tuæ, ut tibi a Deo commiſſus grex ſanctitate, & illius pars nobilior doctrina, probitateque floreret. Quod ut facilius aſſequi poſſes, temetipſum in primis ſingulari vitæ innocentia præſtantem, & tamquam doctrinæ exemplar; quod in dies nobilius exurgit, quiſque ſuſpicere facile poteſt: ſique antea ſanam, & incorruptam Fidei, morumque doctrinam perſecutus es, nunc preſſius, & continuis ſermonibus, & ſaluberrimis monitis, & conquiſitis undique doctis viris eam ita exprimis, ut natum, factumque eſſe videaris ad regendam Dei Eccleſiam in ſanctitate, & doctrina. Neque contentus in hiſce ſeveriorum diſciplinarum ſtudiis verſari, quæ ad Paſtorale munus numeris omnibus obeundum maxime conferunt, illud ipſum tempus, quod animi ſolandi cauſa unicuique

con-

conceſſum eſſe videtur, honeſtarum artium, atque humaniorum litterarum ſtudiis inſumere tibi dulce, & ſuave eſt. Hinc conſpicua illa Antiquitatis monumenta, quæ domi tuæ, tamquam in nobili Lycæo omni genere ſplendidiſſimo aſſervantur, penitus pervadere, vel nummum ex rarioribus ſelectum inſpicere, vel Codicem luſtruare, & explanare tibi in deliciis eſſe ſolet. Atque tali ratione viget, & in te adhuc ſpirat nobiliſſimum illud Bernardi *ampliſſimi Senatoris ingenium, qui non ſolum ſanguinis, ſed & virtutis vinculo tuus frater exſtitit. Atque utinam adhuc eſſet in vivis, neque immatura morte Patriæ, clariſſimæque Familiæ ſuæ eſſet ereptus! Quid enim non ſperandum? Eximiæ illæ animi dotes, ſumma fides, animi integritas, rerum gerendarum peritia, quæ in optimo Cive poſtulantur, omnium admirationem in ſe converterant. Quas quidem etſi ab* Antonio *inclyto Patre referebat*

bat acceptas , quemadmodum & Aloyſius , *ambo Ordini Senatorio merito adſcripti , ipſius tamen operæ , ſtudiique fuit diligenter excolere atque amare . Non omnia tamen cum illo eripuit mors . Præconcepta enim ſpes exurgit in* Jacobo *Avitarum virtutum æmulo , qui præter Senatoriam dignitatem , quam Sapientiſſima Veneta Reſpublica omnibus pene ipſius Majoribus conceſſit , novum decus ſibi , nobiliſſimæque familiæ ſuæ propria virtute promeruit . Cum enim cunĉto Senatui innoteſceret ſumma illius peritia in Navalis diſciplinæ arte , eum cunĉtis ſuffragiis ad Piratarum novæ Tripolis audaciam cohibendam Claſſis Imperatorem delegit : in qua quidem expeditione ita illius animi magnitudo ; & in rebus gerendis ſolertia emicuerunt , ut ſtatim ac nuntius de feliciſſimo exitu ad nos pervenit , tota applaudente Civitate ex S. C. Eques fuerit renuntiatus . Verum quod mirum unicuique videri debet , illud eſt ,*

quod

quod in tot, quibus perfunctus eſt, Reipublicæ muneribus, non qualicumque bonarum artium, atque ſeveriorum diſciplinarum cognitione, quod in homine occupatiſſimo ſatis ad laudem eſſe videretur, ſed admirabili quadam honeſtiſſimorum ſtudiorum polleat cognitione. Hinc tam inſignia, quæ inclytus BERNARDUS reliquit Antiquitatis decora, ea ipſe in dies augere non deſinit. Plura hiſce poſſem adjicere, atque de majoribus tuis referre: at omnibus patent Venetæ hiſtoriæ monumenta; ex quibus tam ampla deſumi poteſt dicendi materies, ut non metuerem, ne mihi unquam deeſſet Oratio. At quoniam ſingulis in rebus certi conſtituendi ſunt termini, te demum alloquor, Præſul ampliſſime, poſtulans, ut non meam dicendi rationem, ſed rei dignitatem, ſoliditatemque argumenti perſpicias, quod quidem dignum eſt, ut tuo ampliſſimo nomine decoretur; neque hoc, qualecumque ſit, obſequii mei argumentum tibi

bi injucundum fore arbitror, qui nihil dulcius experiris, quam cum tuis libris, Muſiſque verſari.

PRÆ-

PRÆFATIO.

QUemadmodum perſpectum ſatis, exploratumque habuere Sancti Eccleſiæ Patres nihil magis Theologum decere, quam ut ad ſacros Codices, & ad Apoſtolicas Traditiones, veluti ad Lydium lapidem exigat Theologica dogmata, ita ab iis maxime commendatum novimus doctrinæ novitatem eſſe religioſiſſime præcavendam. Cujus ſaluberrimi præcepti cum olim incidiſſet ſermo apud eruditiſſimos quoſdam viros, quorum familiaritate, & colloquiis Romæ degens frui ſæpe ſolebam, ex iis unus eruditionum copia ſpectatiſſimus retulit, Panormi prodiiſſe anno MDCCLXII. Diſſertationem *De Paradiſo* a P. Benedicto Plazza Soc. Jeſ. Theologo majori ex parte elucubratam, qui adverſa valetudine correptus, antequam e vivis eriperetur, abſolvendi Provinciam demandavit P. Joſepho M. Gravina ejuſdem Societatis Theologo. Atque utinam hanc ſibi demandatam detrectaſſet! Non enim ab Orcho revocata eſſet contrita olim ab Eccleſia doctrina, nec nova quædam, & monſtruoſa de Fide, deque Infidelium ſalute inducta eſſet. Quibus ego in aliquam animi commotionem adductus, utpote qui ſemper novitatem quamlibet in Theologicis diſciplinis cavendam intellexi, opus mihi commodandum ab amico petii, qui mihi perhumaniter morem geſſit. Atque dum adjectiones P. Joſephi M. Gra-

Gravina perlegerem, inaudita actus novitate, ac potiſſimum arbitraria Sacrorum textuum interpretandi ratione, perutile fore duxi ad haſce novitates conterendas animum adjicere. Quod cum cogitare, & aliquid moliri cœpiſſem, re penitus inſpecta menti occurrit, tam obſcurum opus, antequam in Meridiem aſſurgeret, in ſuæ noctis tenebras facile ruiturum: quemadmodum (neſcio qua intercedente cauſa, quam nec inquiro, nec ad rem noſtram magni faciendam eſſe exiſtimo) revera contigit: quod felix ego, fortunatumque putabam. Quapropter de abjicienda omni cura, & cogitatione hujus Operis in deliberationem veni. At duobus elapſis annis in ſcenam iterum reducitur, quod mihi ex litterariis Foliis Clarif. Jo. Lamii, & ex Bibliopola Panormitano, qui opus illud venale fecerat, necnon ex nonnullis a me viſis exemplaribus ſatis compertum eſt. Quare cum publici Juris factum eſſet, & apud Theologos quoſdam hac de re diſſererem, quorum unus exemplar aliud mihi oſtendit, ex eo ſermone pronum fuit eo ſenſim delabi, ut magnopere doleremus uſque modo novæ, & pernicioſæ huic doctrinæ confutatione neminem occurriſſe. Quibus cum conſilium meum antea habitum aperuiſſem, illud minime improbarunt, ſed ſtimulos potius mihi adjicientes ex mihi propoſita novitatis conterendæ neceſſitate & Traditionis perpetuæ in oppoſitum exhibendæ utilitate, rumpenda fuit mora omnis, nec diutius in vado hærendum. En igitur, benevole Lector, æquiſſimæ cauſæ, quæ me impulerunt, ut hanc opellam jam antea cœptam conſice-

ficere, & in lucem tandem emittere ſtatuerem. Nolim cujuſquam animum offendere, at prudentum certe hominum verique amantium non vereor, ne reprehenſionem incurram. His enim ex ratione, qua novitates in Theologia inductas retundere conabor, perſuaderi facile poterit me ad ſcribendum nec partium ſtudio ductum, nec ſcholaſticas quæſtiones adamare, quæ ad dogma parum, aut nihil conferunt, nec ex ſeminato vel tantillum egredi, ſed ſolas mihi propoſitas eſſe audaciores P. Joſephi M. Gravinæ ſententias examini ſubjiciendas, necnon præ oculis continuo habuiſſe Catholicæ tuendæ doctrinæ ſtudium; quod conſilium meum, ut arbitror, improbabit nemo. Atque ne Catholicam doctrinam minus religioſe pertractare videar, (averſor enim in rebus potiſſimum Theologicis more dimicantium congredi) ab intemperanti quadam acrimonia abſtineam, niſi vehementem aliquam dicendi rationem interdum a me extorqueret ipſe Gravina, qui pluries aſpernari, & injurioſa Janſenianæ hæreſis nota dehoneſtare ſæpe numero ſolet Catholicæ doctrinæ aſſertores. Hujuſce tandem diſſertationis conſpectum, per ſumma capita expoſitum, hic habes.

IN-

INDEX

CAPITUM.

CAPUT PRIMUM.

Idea Operis. Pag. 1

CAPUT II.

Quid ſentiendum de novitate doctrinæ Theologicæ Gravinæ. 4

CAPUT III.

De Fidei implicitæ notione, quam implexe tradit P. Gravina. 7

CAPUT IV.

Nulla ſalutis ſpes affulget in Gentilibus, Mahometanis &c. qui Chriſtum non cognoſcunt. 12

CAPUT V.

Una, & eadem fuit electorum in veteri lege Chriſti Fides, ac noſtra. 15

CAPUT VI.

Nullus Ethnicus, Mahometanus, Schiſmaticus, Hebræus &c. ſive in veteri, ſive in nova lege ſalutem æternam conſecutus eſt ea tantum fide, quam ex P. Halloix S. J. docuit P. Gravina, idque oſtenditur ex perpetua traditione. 19

CAPUT VII.

Nullus ſive Ethnicus, ſive Mahometanus, Hæreticus, Schiſmaticus, Hebræus in novo fœdere ſine explicita Chriſti fide ſalutem æternam aſſequi valet. 29

CAPUT VIII.

Afferuntur, & diluuntur objecta P. Gravinæ. 48

CA-

CAPUT IX.

Sententia P. Gravinæ ex ſui natura ſcandali occaſionem parit. 76

PARS ALTERA.

CAPUT PRIMUM.

Quid ſentiendum ſit de Electorum numero. 90

CAPUT I.

Demonſtratur Propoſitio ex ſacris litteris, ſimulque diluuntur falſæ, & erroneæ interpretationes P. Gravinæ. 98

CAPUT II.

Conſtans, & perpetua SS. Patrum doctrina eſt, majorem habendum eſſe reproborum, quam electorum numerum inter ipſos adultos Catholicos. 122

CAPUT III.

Diluuntur conjecturæ P. Gravinæ e ſacris litteris petitæ, & compeſcitur veriſimilitudo benignæ opinionis. 138

CAPUT IV.

Solvuntur conjecturæ P. Gravinæ ex Patribus ineptè deſumptæ. 150

CAPUT V.

ET ULTIMUM.

Corollarium.

ERRATA CORRIGE.

Pag. 7. lin. ult. Perſequtus Perſecutus p. 13. l. 19. ad ſalutem unius unius ibid. l. 30. At antiquata Antiquata eſt p. 17. l. 26. fidei eamdem fidei, eamdem p. 18. l. 25. fundendum. fundendum. „: ibid. l. 28. proponit: proponit: „ p. 21. l. 14. docet: non docet non p. 24. l. 27. minus, adepti minus adepti p. 26. l. 4. nec enim nomen nec enim eſt nomen p. 27. l. 19. Proferam proferam. p. 29. l. 12. Spirirus Spiritus p. 31. l. 6. mediatoris Mediatoris p. 33. l. penult. vul vult p. 38. l. 15. Chriſti, fide Chriſti fide ibid. l. 23. *Prædicabant autem Apoſtoli* prædicabant autem Apoſtoli p. 39. l. 8. *juxta textum* juxta textum 44. l. 29. eſt nec eſt, nec p. 45. l. 20. art. 1. Poſt art. 1. poſt p. 51. l. 6. ad ventum adventum p. 54. l. ult. Chriſtum "Chriſtum p. 5. . o. ſuperſedemus ſuperſedemus „ p. ibid. l. 14. quatenus, Verbum quatenus Verbum p. 65. l. 10. concutienda concutiendæ p. 66. l. 3. S. Vero Sanctus p. 78. l. 14. Appage Apage p. 69. l. 12. ergo, ergo p. 72. l. 4. In ſcenam tamen in ſcenam p. 76. l. 10. aperre aperte p. 87. l. 1. illics illius p. 90. CAPUT PRIMUM ———---- p. 94. l. 11. doctrinam doctrina p. 98. l. 19. quem maxime quàm maxime p. 99. l. ult. Florentinus. Florentinus. „ p. 111. l. 8. advertit: advertit ibi l. 9. v. 1., poſt v. 1. poſt. p. 113. l. 26. contingit contigit p. 114. in Not. l. 15. ipſos præmia ipſos --- p. 119. l. 4. Noe. Hinc Noe, hinc p. 121. l. 12. ſuos. Cum ſuos: cum ibid. l. 19. conſtatilem conflatilem p. 123. l. 30. reproborum electorum p. 128. l. 4. quod quot p. 130. l. 20. Jacobi Jacob p. 132. l. 14. adverſantur adverſatur p. 135. l. 4. Bibliam Bibliothecam p. 138. l. 23. opiniones opinionis p. 140. l. 3. exhibunt exibunt p. 155. l. 17. poterit teſtimonio poterit ex teſtimonio p. 156. l. 19. Appage apage

CA-

CAPUT I.

IDEA OPERIS.

CUm primum animum ad ſcribendum appuli contra doctrinam Patris Joſephi Mariæ Gravina S. J. in additamento ad Diſſertationem *De Paradiſo* P. Benedicti Plazza ejuſdem Societatis, non alio conſilio ad id mentem applicui, quam ut doctrina Eccleſiæ, quæ adverſatur novitatibus ab ipſo inductis, ſarta, tectaque permaneat, firmiorique obvalletur præſidio.

Docet itaque primo P. Gravina p. 521. Electos non ſolum de Catholicis, nec ſolum de Baptizatis, ſed de omnibus hominibus multo numeroſiores eſſe reprobis: quoſnam autem in eorum album referat, me etiam penitus tacente, admirabitur quiſque poſtremum Gravinæ corollarium percurrens, in quo totam doctrinam antea ab ipſo traditam ſic contracte exponit p. *689*. „ Ingenue fateor, inquit, primo aſpectu rudibus ſententiam noſtram præſeferre grave offendiculum, ut quæ Ethnicos, Mahometanos, „ Hæreticos, Schiſmaticos, Hebræos turmatim „ ſalutem aſſequi ſempiternam doceat. Sed id „ offendiculo eſſe poteſt rudibus, Theologis non „ item, qui quaſi conſpiratione quadam docent, „ præſertim juniores contra Janſenianos . . . . „ præter explicitam extare fidem implicitam, „ ſufficientem ad ſempiternam ſalutem. Concordia autem Theologorum in hac opinione, ſeu „ dogmate a concordia derivatur SS. Patrum,

„ qui communi ſuffragio huic ſententiæ ſubſcri-
„ bunt, ut videre eſt apud Ripaldam diſp. 17.
„ de Fide Sect. XI. Alios mitto. Quare ſcan-
„ dalum hoc Phariſaicum eſt, & Puſillorum.
„ Revera enim nos unis Chriſtianis Cælum pa-
„ tefacimus, & omnes electi Chriſtiani fuere, &
„ ſunt, & erunt; ut qui gratia Chriſti adjuti
„ ſalutanter operati ſunt fide vel explicita, vel
„ implicita Chriſti eis aditum reſerante ad ſalu-
„ tem. Quare qui fide ſalvi fiunt implicita, &
„ Chriſtiani a nobis occulti dicuntur, re Chri-
„ ſtiani ſunt, nomine tenus Ethnici, Mahome-
„ tani, Hæretici, Schiſmatici ſunt, & Hebræi;
„ atque adeo Chriſtiani, ut Theologi loquun-
„ tur, *formales*, infideles *materiales*. "

Expoſita ipſiſſimis Auctoris verbis Gravinæ doctrina, ad ſequentes Propoſitiones reduci poteſt, ut uno intuitu quiſque intelligat, quid in hac opella, qualiſcumque tandem futura ſit, refellere, quid propugnare in animo nobis ſit.

Prima Gravinæ Propoſitio.

Ethnici, Mahometani, Hæretici, Schiſmatici, Hebræi turmatim ſalutem aſſequuntur ſempiternam fide implicita Chriſti.

Secunda Gravinæ Propoſitio.

Opinio de Fide implicita Chriſti ſufficienti ad ſalutem dogma eſt, & emanat a concordia Patrum Sanctorum.

Ter-

Tertia Gravinæ Propoſitio.

Scandalum, quod patiuntur nonnulli ex priori Propoſitione, Phariſaicum eſt, & puſillorum. Nam Ethnici, Mahometani &c., qui ſalvi fiunt fide implicita Chriſti, re Chriſtiani ſunt, ſeu Chriſtiani *formales*, nomine tenus Ethnici, Mahometani &c.

Præfatis Propoſitionibus ſequentes opponere lubet.

Prima Propoſitio.

Nullus Ethnicus, Mahometanus, Hæreticus, Schiſmaticus ſalutem aſſequi poteſt ſempiternam ſola fide implicita Chriſti, quam docuit P. Gravina.

Secunda Propoſitio.

Dogma potius poſſet appellari neceſſitas Fidei explicitæ Chriſti in novo fœdere, quoniam ex ſacris litteris ad expoſitionem Patrum SS. exactis, & ex traditione vere, & ſincere intellecta, non autem ficte, luce meridiana clarior apparet.

Tertia Propoſitio.

Gravinæ doctrina ex ſui natura ſcandali occaſionem parit, tum quia Chriſtianorum, tum quia Electorum albo *turmatim* adſcribit, qui ab ipſo Chriſto, tum ab Eccleſia, tum a Regno æterno excluduntur.

Excluſis a Regno cælorum Ethnicis, Mahometanis, Hebræis, Schiſmaticis, inſtituetur Quæſtio de Catholicis, majorem oſtendendo habendum eſſe reproborum, quam electorum numerum inter adultos; quoniam de Infantibus operoſa quæſtio non eſt.

At prius quam ad has demonſtrandas Propoſitiones manum admoveamus, operæ pretium exiſtimo parum immorari in doctrinæ novitate, qua maxime gloriatur P. Gravina.

C A P U T II.

Quid ſentiendum ſit de novitate doctrinæ Theologicæ Gravinæ.

INquit P. Gravina p. 523. „ An nihil novi „ in Theologicis ſtudiis inveniri poteſt? Cur „ de Theologia non dicamus, quod Seneca de Na- „ tura protulit? Seneca, inquam, quem S. Bernar- „ dus maximum Philoſophorum Latinorum vo- „ cat. Nat. Q.Q. Lib. VII. Cap. XXXI. *Re-* „ *rum Natura*, ait, *ſacra ſua non ſimul tradit.* „ *Initiatos nos credimus: in veſtibulo ejus hære-* „ *mus. Illa arcana non promiſcue, nec omnibus* „ *patent: reducta, & in interiori ſacrario clauſa* „ *ſunt: ex quibus aliquid hæc ætas, aliud, quæ* „ *poſt nos ſubibit, adſpiciet.* “

At validum ſane præſidium pro firmanda nova Theologica doctrina deſſumptum ex Ethnico philoſopho agente de natura? Non pudet Theologum nonniſi unum Ethnici teſtimonium adducere pro novitate doctrinæ inducenda in Eccleſia Dei? Tolerabilius id eſſet, ſi ſaltem teſti-

mo-

monium ad eamdem rem accommodatum adhibuiſſet. At acutiſſimus ille philoſophus merito de natura ea protulit, quæ nonniſi intemperanter ad rem Theologicam traduci queunt. Tali ratione plane ignarum ſe prodit P. Gravina eorum, quæ etiam norunt ii, qui Theologicas diſciplinas vel a limine ſalutarunt. Tritum enim ſatis, atque omnium ore vulgatum eſt effatum illud S. Stephani Papæ ſcribentis ad Cyprianum *nihil innovetur, niſi quod traditum eſt*: Huc ſpectat etiam decretum Alexandri VII. P. M., in quo acriter invehitur contra complures opiniones noviter prodeuntes; quas nonniſi *ex ſumma luxuriantium ingeniorum licentia* repetendas eſſe decernit.

Porro nulla res tam commendata in ſacris litteris nobis eſt, quam ut permaneant in nobis, quæ audivimus ab initio, ut declinemus a profanis vocum novitatibus, ut firma retineamus, quæ nobis credita ſunt. Enimvero Joannes I. Epiſt. c. 2. v. 24. ait *Quod audiſtis ab initio, in vobis permaneat*. Et Epiſt. II. v. 7. *Quemadmodum audiſtis ab initio, in eo ambuletis*. Et v. 9. *Omnis, qui recedit, & non permanet in doctrina Chriſti, Deum non habet*. Nec diverſimode loquitur Apoſtolus cap. 6. Epiſt. I. ad Timoth. v. 20. inquiens: *Depoſitum cuſtodi, devitans profanas vocum novitates*: Et ne ſingula id genus plura commemorem, huc tôtum fere ſpectat primum caput Epiſtolæ ejuſdem Apoſtoli ad Galatas, quos a falſis Doctorum ſententiis Apoſtolus corrigit ad antiquam revocando acceptam fidei regulam. Quod ſi quis uberiora inquirat, & clariora his, quæ ex ſacris codicibus delibavimus, adeat Traditionis fon-

tem, quæ incorruptis SS. Patrum ſcriptis aſſervatur. Ex his enim, non ex fœdiculis quibuſdam lacunis, quibus ſæpe utitur Gravina, limpidiſſimam doctrinam eorum, quæ etiam perobſcure in ſacris paginis enuntiantur, haurire quiſque facile poterit. At ne in re tam perſpicua omnium Theologorum ſuffragiis firmata tempus terere fruſtra videamur, unum Tertulliani teſtimonium, & S. Auguſtini alterum proferre contenti erimus. Ille enim in lib. *de Præſcript. cap.* 31. diſertiſſima hæc verba habet, quæ tam ſolida ſunt, ut ea hic a me repeti quilibet ſanæ doctrinæ aſſertor delectari debeat. *Ex ipſo ordine*, inquit, *manifeſtatur id eſſe Dominicum, ac verum, quod ſit prius traditum: id autem extraneum, & falſum, quod ſit poſterius immiſſum.* Quid autem ſibi vult illud *poſterius immiſſum*, niſi aliquid novi? Audi nunc, o Gravina, præ Seneca Tertullianum, qui in te ſententiam dicit: *id extraneum eſt, & falſum.* S. Auguſtinus quoque luculentiſſime animadvertit, ita Eccleſiam ab hac novitatis nota abhorruiſſe, ut dum in Conciliis aliquid ſaluberrime inſtitutum eſt, notatu dignum ſit, illud proponi, non tamquam novitatem ſapiens, ſed tamquam nova declaratione firmatum, quod antiquitus traditum eſt. Præſtantiſſimi S. Doctoris verba exſtant in lib. 5. contra Donatiſtas cap. 22., quæ hujuſmodi ſunt. *Unde ſe neque ipſi præciderunt, neque diverſa ſentientes præcidi paſſi ſunt: donec aliquando in Domini voluntate per plenarium Concilium licet poſt multos annos, quid rectius eſſet, eluceret, non aliqua novitate inſtituta, ſed antiquitate roborata.*

Si quis plura deſideret, conſulat Cl. Angelum M. Fel-

M. Feltrium in Diſſert. pro vindicando Canone S. Auguſtini : *Quod univerſa tenet &c.* ab accuſationibus Chriſtophori Matthæi Pfaffii Acatholici, in qua præter eruditionem, & ſtyli nitorem, eleganter collecta inveniet quiſque SS. Patrum teſtimonia pro veneranda Doctrinæ antiquitatis canitie, nec non contra novitatis amatores. Addam tantum, quod apud Theologos ratum, firmumque dogma eſt, nimirum: *quidquid in doctrinis ad Fidem, aut mores ſpectantibus novum eſt, ex certa traditione error certiſſimus haberi debet*.

CAPUT III.

De Fidei implicitæ notione, quam implexe tradit P. Gravina.

AB inſtituto noſtro alienum eſſe videtur ea omnia recenſere, quæ ad æternam ſalutem neceſſaria eſſe ex ſacris litteris, Patrum teſtimoniis, & Eccleſiæ ſanctionibus comperimus: quoniam quæ ex diametro opponuntur præfatæ Gravinæ doctrinæ, ea tantum demonſtranda ſuſcipimus, & alias ſatis omnium ore vulgata res eſt, quænam de neceſſitate medii, quænam (*a*) vero ſint de neceſſitate ſolius præcepti credenda.

(*a*) Licet omnes fere Theologi, qui de Fide agunt, ea diſtinguere conſueverint, nitide tamen & diſtincte, ut ſui moris eſt, ea exponit Cl. P. Fulgentius Cuniliati, qui Theologicas diſciplinas ad mores ſpectantes contracte, perſpicue, & ſolide eſt perſequtus.

Hinc, ut methodo, quæ ad perſpicuitatem maxime confert, procedamus; atque ut inanes vocum diſputationes declinemus, ſtatuendum primo eſſe videtur, quid P. Gravina fidei *implicitæ*, & *explicitæ* vocibus intelligat. Non me latet, has voces primum Patribus de Fide in Chriſtum agentibus ignotas; a Scholaſticis inde non ſine magna Fidei jactura inductas eſſe: quoniam patres non aliam fidem docuerunt, quam quæ invocatione, & confeſſione completur: quæ profecto nonniſi explicita eſſe poteſt. Tamen quia Scholaſtici illi viri tales erant, ut ſanctitate, & doctrina fulgerent, id ſibi videntur depoſcere, ne eam veluti formulam per ipſos inductam omnino prætereamus. At videndum, quomodo eam acceperit Auctor noſter. Is quidem in ea definienda parum ſollicitum ſe prodit, puto, quia cum muniat ſententiam ſuam teſtimonio P. Ripaldæ, qui ſuam ſententiam de Fide implicita Chriſti demonſtrare conatur ex Patrum teſtimoniis, & ad eum evolvendum lectores remittat; etiam quoad ipſam definitionem eos remittere intelligat. Audiamus ergo P. Ripaldam ſic Fidem *explicitam*, ſeu ſtrictam, & *implicitam*, ſeu late dictam explicantem. Inquit Tom. 3. de Ente ſupernaturali diſp. 20. ſect. 10. *Fides ad omne opus ſalutare neceſſaria non eſt Fides ſtricta, ſed lata. Infideles autem ſolius fidei ſtrictæ, non vero latæ incapaces ſunt.* Et poſt pauca. *Fidem ſtrictam voco aſſenſum objecti propter teſtimonium Dei propoſitum ab Eccleſiæ miniſtro externo, & vocali hominum, qualem habent Fideles regulariter, Fidem Theologicam ex auditu concipientes. Fidem latam vero aliam quamcumque cognitionem ſupernatura-*

ra-

ralem honeſti, *partam ex teſtimonio externo creaturarum irrationabilium* , *aut ex inſpiratione interna Dei* . Quapropter non eſt amplius *Fides ſperandarum ſubſtantia rerum* , *argumentum non apparentium*, Sed cognitio honeſti parta ex teſtimonio apparenti creaturarum irrationabilium . Sileat ergo Paulus , qui ad Corinth. 15. urget : *Sperandarum rerum*, *ac reſurrectionis ſublata fide miſerabiliores ſumus omnibus hominibus*. Inanis deinde, & illuſoria eſt vox illa *ſupernaturalem*, quæ a P. Ripalda cognitioni adjicitur. Non enim ſupernaturalis dici poteſt cognitio illa, quæ ex ſolo creaturarum intuitu comparatur. Deinde nonnullis interjectis ſic P. Ripalda rem conficit. *Itaque tribus pronunciatis clauditur tota ſolutio* . *Alterum Fidem apud Sacros Scriptores non ſolum uſurpari ſtrictam*, *ſed etiam latam* . *Alterum Fidem ad opera ſupernaturalia*, *& ſalutaria neceſſariam non eſſe ſtrictam* ; *ſed latam* . *Tertium Infideles fidei latæ eſſe participes*. Ex his conjicitur, Fidem late dictam partam etiam ex teſtimonio externo creaturarum ſufficere ad omne opus ſalutare, adeoque & ad juſtificationem. Huic propoſitioni aliam plane ſimilem adjicio, quæ eſt numero 23. inter 65. damnatas ab Innocentio XI. die 2. Martii anni 1679. *Fides late dicta ex teſtimonio Creaturarum*, *ſimilive motivo ad juſtificationem ſufficit* . Hæc animadvertas velim , ſimulque conferas ; & ſi adhuc P. Ripaldæ judicio acquieſcas , non invideo .

At plane intelligit , ut opinor , P. Gravina ſe inſcite a Confratre ſuo eſſe deceptum . Relicta igitur Patris Ripaldæ Definitione , ne ei ſit amplius moleſta , cum eo nunc liberaliter agam ,

agam, ejus mentem de Fide implicita aſſequi ſtudens.

Itaque *pag. 603.* & ſeq. ex inſtituto de Fidelibus occultis verba faciens, de Gentilibus, ex doctrina P. Halloix inter alia hæc decerpit. *Nihil plus in Gentilibus ad fidem requiritur, quam ut unum Deum eſſe credant, eumque piorum, & impiorum juſtum remuneratorem*. Eadem tradit p. *640*. Dum igitur ait Corollario antea expoſito Gentiles, Mahometanos *Fide implicita Chriſti* ſalutem æternam eſſe aſſecutos, intelligit hanc implicite contineri in Fide explicita unius Dei, atque Remuneratoris. Et revera hoc ſibi vindicat Fidei implicitæ notio, ut nempe in alio articulo per ſe cognito, & explicite credito cæteri, qui implicite creduntur, contineantur. (Vide Melchior. Canum de Sacram. Parte II. pag. 448. Edit. Patavinæ ann. 1714. & Cuniliatum Tract. IV. de Fide cap. 1., & alios) At juxta doctrinam P. Gravinæ Gentiles unum Deum tantummodo, eumque Remuneratorem explicite credere tenentur; in eo igitur articulo ad normam doctrinæ P. Gravinæ implicite continetur etiam Chriſti Fides. At non animadvertit primo P. Gravina hanc Chriſti fidem implicitam ſic enuntiatam ſonum vocis eſſe ſenſu plane carentem? Ut enim Fides implicita poſſit appellari, ii articuli, quos implicite profitemur, in alio expreſſe credito contenti profecto eſſe debent, (ut ſupra notavimus.) Quemadmodum, qui Trinitatem Perſonarum in unitate Naturæ animo tenet, verbi quoque a Patre tenet generationem, nec non Spiritus Sancti proceſſionem ab utroque. Verum qua ratione in articulo unius Dei Remuneratoris continetur Verbi

bi Incarnatio, duplicis naturæ conjunctio in unitate Perſonæ, Chriſti paſſio, & mortis ſubitio? Hi enim articuli tanquam ab exiſtentiæ Dei dogmate diſtincti ab Eccleſia Fidelibus credendi proponuntur, & quamvis Incarnationis Fides ſupponat Trinitatis exiſtentiam in eſſentiæ unitate, ut egregie oſtendit D. Thomas; dogma tamen exiſtentiæ Dei non includit Verbi Incarnationem, quæ inter operationes ab extra, (ut loquuntur Theologi) recenſetur. Idem enim Deus extitiſſet, etiamſi Verbi Incarnatio peracta non eſſet; nec ad operationes *ab intra* Incarnatio ullo modo poteſt referri, quæ cum ſint neceſſariæ, veluti ſpiratio activa, & paſſiva, ſtatim ac Trinitatem profitemur in unitate eſſentiæ, Spirationem quoque activam, & paſſivam implicite confitemur.

Cum igitur Dogma exiſtentiæ Dei Remuneratoris nequaquam in ſe includat Incarnationis Myſterium, ſatis intelligimus inanem plane, & nugatoriam eſſe Fidem illam implicitam, quam ad Paganorum ſalutem procurandam inducere vellet P. Gravina. At ne videamur in vocibus definiendis plus æquo immorari, ad magis operoſam Diſputationem mentem, cogitationemque convertamus; ad quam eadem Gravinæ Definitio nos provocat. Et ſane implicita Chriſti Fides, quæ unicum unius Dei Remuneratoris fundamentum agnoſcit, Chriſti cognitionem excludit. Quænam enim Chriſti cognitio poſtulari poteſt ab eo, qui Deum Remuneratorem tantum agnoſcit, & profitetur, nec ab eo quidpiam aliud exigitur? Tamen juxta Gravinam *nihil plus in Gentilibus ad fidem requiritur, quam ut unum Deum* Re-

Remuneratorem eſſe credant, ideſt agnoſcant, & profiteantur. Reliquum eſt igitur tantum, ut deſideremus Chriſti Fidem in Gentilibus ex doctrina P. Gravinæ.

At ad ſalutem aſſequendam neceſſariam plane eſſe Salvatoris cognitionem, ex ſequenti Propoſitione luce clarius apparebit.

C A P U T IV.

Nulla ſalutis ſpes affulget] in Gentilibus, Mahometanis &c. qui Chriſtum non cognoſcunt.

DIſputationis exordium repetam non quidem ex iis Sacrorum Bibliorum, & SS. Patrum teſtimoniis, quæ in re noſtra ambiguitatem aliquam præſeferunt; ſed ex omnibus, quæ in hanc rem adduci poſſent, ea tantum promere intelligo, quæ propoſitionem penitus evincant. Ex Bibliorum textibus unum tantum ſeligo ex Joannis cap. 17. v. 3. *Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum*. Exigit ergo S. Joannes aliquid amplius, quam fidem unius Dei ad ſalutem aſſequendam. Cognitio enim, quam poſtulat Evangeliſta, non in Deo completur, ſed ad Chriſtum quoque eam extendi debere ex particula *&* intelligimus.

Ex Patribus vero in medio ponam primo ſatis nitidum S. Irenæi teſtimonium, quod extat in lib. 3. contra hæreſes cap. 19. *Ignorantes eum, qui ex Virgine eſt Emmanuel, privantur munere ejus*,

ejus, quod eſt vita æterna. Similia habet lib. 4. contra hæreſes cap. 2.

S. Cyprianus Epiſt. 73. ad Jubajanum n. 6. *Nec poſſit eſſe ſpes ſalutis, niſi duobus ſimul cognitis &c.* nempe ut ſupra. Hæc tam clara, tamque perſpicua ſunt, ut explicatione non egeant. S. Hilarius lib. 3. de Trinitate. *Non habet intervallum confeſſio credentium, quia in utroque ſpes vitæ*. Idem lib. 9. de Trinitate. *Solum enim verum Deum Patrem inutiliter credimus, niſi credamus, & quem miſit Jeſum Chriſtum . . . . Cum Fides nulla ſit in ſolum Deum verum crediſſe ſine Chriſto*. Neceſſitas Fidei in Jeſum Chriſtum ita hic inſinuatur a S. Doctore, ut unius Dei confeſſio inutilis prædicetur. Age nunc, & novam trade Doctrinam de Gentilibus, a quibus unica Dei Remuneratoris Fides exigatur. Nullum præterea hic Catholicæ Doctrinæ aſſertor agnoſcit diſcrimen inter neceſſitatem Fidei ad ſalutem unius Dei, ac Chriſti. Quapropter ſicut ad illam requiritur unius Dei cognitio confeſſione firmata, ita & ad hanc procul dubio Chriſti cognitio poſtulatur.

S. Hieronymus lib. I. Comment. ſuper cap. 1. Ep. ad Epheſ. *Non ante filii eſſe poſſumus, niſi Filii ejus fidem, & intelligentiam recipiamus*. Qua ratione hic exigit S. Doctor intelligentiam Chriſti, ut filii ejus eſſe poſſimus, ſi hæc intelligentia noſtris hiſce temporibus non requiritur?

At antiquata eſt Doctrina illa, (innuere fortaſſe vult P. Gravina dum inquit: *An nihil novi in Theologicis diſciplinis inveniri poteſt?*) At apage nugas.

Audiamus nunc præſtantiſſimum Eccleſiæ lumen

men S. Auguſtinum, qui infinitis propemodum modis hanc tradit Doctrinam. De peccato originali agens contra Pelagium cap. 24. Tom. 10. pag. 265. edit. Maur. *Sine Fide Reſurrectionis ejus, quam Deus omnibus definivit, quæ utique ſine Incarnatione ejus, atque morte non poteſt veraciter credi; ſine fide ergo Incarnationis & mortis, & Reſurrectionis Chriſti, nec antiquos juſtos, ut juſti eſſent, a peccatis potuiſſe mundari, & Dei gratia juſtificari, veritas Chriſtiana non dubitat*. Et de Cathechizandis rudibus cap. 17. Tom. 6. pag. 282. *Et ſic ſalvi facti ſunt, credendo, quia veniet*. At quam Fidem Reſurrectionis ejus, quem ignorant, habere poſſunt Gentiles? Et tamen ſine illa nemo unus nec ante Chriſti adventum a peccatis potuit mundari.

Similia tradit S. Ambroſius Ep. 15. Tom. 2. pag. 1084. & S. Proſper in Com. ſup. Pſalmum 104. Tom. 8. p. 120.

Vix aliquid præclarius exhiberi poteſt ejuſmodi teſtimoniis ex veneranda antiquitate petitis. Atque eo proceſſerat etiam Euſebius Cæſarienſis, cujus verbis rem totam conficiam. *Quotquot* (inquit ipſe lib. I. Hiſt. cap. 2.) *a prima humani generis origine Juſtitiæ, & Religionis laude maxime floruerunt, ut magnus ille Dei famulus Moyſes, & qui ante illum vixit Abraham, & ejus filii, & quicumque poſtea viri juſti, ac Prophetæ extiterunt, omnes puris mentis oculis contemplati cognoverunt, eidemque tamquam Dei filio debitum cultum exhibuerunt*.

CAPUT V.

Una, & eadem fuit electorum in veteri lege Chriſti Fides, ac noſtra.

QUamvis non ſim neſcius ante Domini adventum Sanctos multa crediḋiſſe implicite de Chriſto, *nondum acceptis repromiſſionibus, ſed a longe eas aſpicientes*, quemadmodum ex iis, quæ SS. Patres ſummis ingeniis, exquiſitaque doctrina pertractarunt de veterum electorum fide, facile oſtendi poſſet, (*a*) tamen quoad ſubſtantiam eadem fuit Juſtorum veterum fides, & noſtra. Quæ quidem Propoſitio quoniam maxime confert ad illorum Patrum mentem aſſequendam, ex quibus teſtimonia minus recte intel-

(*a*) Ex S. Auguſtino ſerm. 7. de Sanctis, & lib. 1. Retractationum cap. 13. Ex S. Leone ſerm. 3. de Nativ.; & communis eſt ſententia aliorum Patrum, quos ſecuti ſunt S. Thomas 2. 2. q. 1. art. 9. & 10., & S. Bonaventura in 3. diſt. 25. art. 2. q. 2. & S. Bernardus Epiſtola ad Hugonem de S. Victore cap. 3. hæc habet „ Quod ſi Prophetæ, & „ qui illuſtriores videbantur in illo populo, non „ omnes omnia liquido æqualiter agnoſcere valuerunt, ſed alii plus, alii minus pront eis ſpiritus „ dabat, dividens ſingulis pront volebat, idque abſque præjudicio ſuæ ſanctitatis, atque perfectionis, quanto magis ſimpliciores quique juſti ſine „ detrimento ſalutis, ſalvationis tempus, modum, „ & ordinem neſcire potuerunt, quæ tamen certa „ ſpe & fide, uti promiſſa fuerant, firmiſſime tenuerunt."

tellecta promit P. Gravina ad ſuam firmandam ſententiam, hinc lectoribus non injucundum fore arbitror, ſi in hac evincenda parum immoremur.

Apoſtolus itaque II. Corinth. 4. inquit: *Habentes eumdem ſpiritum Fidei*. Et ad Rom. 5. *Patres noſtri omnes ſub nube fuerunt*, &c. *conſequente eos petra, petra autem erat Chriſtus*. Et ut alia miſſa faciam, ad Rom. 3. inquit: *Sicut per unius deliĉtum omnes homines in condemnationem, ſic & per unius juſtitiam omnes homines in juſtificationem*. Atque ne in ſuſpicionem quis adducat, quod hæc Apoſtoli teſtimonia intelligenda non ſint de uno, & eodem ſpiritu fidei, quo acti ſunt juſti in veteri lege, ac nos perciti ſumus, audiamus luculentiſſimum interpretem omni exceptione majorem Divum Auguſtinum Tractatu 45. in Joannem ſic uberrime diſſerentem.
„ Ante adventum, inquit, Domini noſtri Jeſu
„ Chriſti, qui humilis venit in carne, præceſ-
„ ſerunt juſti ſic in eum credentes venturum,
„ quomodo nos credimus in eum, qui venit.
„ Tempora variata ſunt, non fides, quia & ipſa
„ verba pro tempore variantur, cum varie de-
„ clinantur. Alium ſonum habet *venturus eſt*,
„ alium ſonum habet *venit*. Mutatus eſt ſonus
„ *venturus eſt*, & *venit*; eadem tamen Fides
„ utroſque conjungit, & eos, qui venturum eſ-
„ ſe, & eos, qui eum veniſſe crediderunt, di-
„ verſis quidem temporibus, ſed utroſque per
„ unum Fidei oſtium, hoc eſt per Chriſtum vi-
„ dimus ingreſſos. Nos credimus Dominum J.
„ C. natum ex Virgine, veniſſe in carne, paſ-
„ ſum eſſe, reſurrexiſſe, in Cœlum aſcendiſſe:
„ to-

„ totum hoc, ſicut verba auditis præteriti temporis, impletum eſſe jam credimus. In ejus „ ſunt Fidei ſocietate nobiſcum & illi Patres, „ qui crediderunt de Virgine naſciturum, paſſurum, reſurrecturum, in Cælum adſcenſurum: illos enim oſtendit Apoſtolus, ubi ait; „ *habentes eumdem ſpiritum* Fidei, *ſicut ſcriptum eſt: credidi, propter quod locutus ſum, & nos credimus, propter quod & loquimur*. Propheta dixit: *credidi, propter quod locutus ſum*: Apoſtolus dicit, *& nos credimus, propter quod & loquimur*. Ut ſcias autem, quod una ſit Fides, „ audi dicentem: *habentes eumdem ſpiritum fidei*. Sic „ & alio loco, nolo enim vos ignorare fratres, quia „ patres noſtri omnes ſub nube fuerunt. - - - Numquid non eadem credebant, *per quos hæc ſigna miniſtrabantur*, per quos eadem, quæ credimus, prophetata prænuntiabantur? Utique credebant: Sed „ illi ventura eſſe, nos autem veniſſe: ideo & ſic „ ait: *eumdem potum ſpiritalem biberunt*. . . . . „ Videte ergo fide manente ſigna variata. Ibi „ petra Chriſtus, nobis Chriſtus &c. “ Quam ingenio exiguus ſum ego, qui hæc ſimul in veteribus juſtis componere non valeo! Exigit Apoſtolus ab electis in veteri lege eumdem ſpiritum fidei eamdem fidei ſocietatem prædicat nobiſcum de iis D. Auguſtinus, nec non eamdem Incarnationis, Paſſionis, ac Reſurrectionis fidem, qua æternæ beatitudinis participes ſunt effecti; & tamen unam fidem unius Dei Remuneratoris ab iis poſtulat P. Gravina.

At clariora ulterius inquiramus. Idem S. Doctor Ep. 157. ad Optatum „ Unius, inquit, „ mediatoris Dei, & hominum Jeſu Chriſti ſa-

„ luberrima fide etiam illi juſti ſalvi facti ſunt,
„ qui priuſquam veniret in carne, crediderunt in
„ carne venturum. Eadem Fides eſt & illorum,
„ & noſtra. “ Et alibi „ Et ne quiſquam dice-
„ ret poſſe eſſe ſalutis viam in bona converſa-
„ tione, & unius Dei omnipotentis cultu ſine
„ participatione corporis, & ſanguinis Chriſti :
„ *unus enim Deus*, inquit, *& unus mediator*
„ *Dei*, *& hominum homo Jeſus Chriſtus*, ut
„ illud, quod dixerat, omnes homines vult ſal-
„ vos fieri, non alio modo intelligatur præſta-
„ ri, niſi per mediatorem, non Deum, quod
„ ſemper Verbum erat, ſed hominem Jeſum
„ Chriſtum, cum *verbum Caro factum eſt*, *&*
„ *habitavit in nobis*. “ En tibi Auguſtiniana
Definitio : eadem eſt veterum Juſtorum fides,
& noſtra, nec ſalutis via reperitur in recta
vivendi ratione, nec in unius Dei omnipoten-
tis cultu ſine participatione corporis, & ſangui-
nis Chriſti.

S. Leo Papa ſermone *62*. p. 137. Edit. Lugd.
„ Sanguis, inquit, unius Juſti, quem nobis Pater
„ donavit, qui eum pro reconciliatione mundi cre-
„ dimus fuſum, hoc contulit patribus, qui ſi-
„ militer crediderunt fundendum. Non eſt igi-
„ tur diſcrimen inter myſteria, quæ Sancti ve-
„ teris teſtamenti credebant, & illa, quæ Reli-
„ gio Chriſtiana nobis credenda proponit : nec
„ unquam a præcedentibus juſtis, (ait idem San-
„ ctus Doctor) niſi in Domino Jeſu Chriſto ſal-
„ vatio ſperata eſt. “ Idem vir ſanctus ſermo-
ne *63*. pag. 138. „ Una enim Fides, inquit, juſtificat
„ univerſorum temporum Sanctos, & ad eam-
„ dem ſpem, & fidem pertinet, quidquid per
„ me-

„ mediatorem Dei, & hominum Jeſum Chri„ ſtum vel nos confitemur factum, vel Patres „ noſtri adoravere faciendum. " Idem docent S. Hieronymus lib. 1. Commentar. ſup. cap. 2. Ep. ad Galatas, & S. Hilarius lib. 3. de Trinitate, S. Gregorius Magnus Hom. 5. lib. 2. ſuper Ezechielem, & alii, quorum teſtimonia in medium adducere in re tam clara, tamque perſpicua ſupervacaneum exiſtimo. Ex Propoſitione enim ſequenti non parum luminis exurget ad hanc, quam præ manibus habemus, Propoſitionem firmandam, ſolidandamque.

C A P U T VI.

Nullus Ethnicus, Mahometanus, Schiſmaticus, Hebræus &c. ſive in veteri, ſive in nova lege ſalutem æternam conſecutus eſt ea tantum fide, quam ex P. Halloix S. J. docuit P. Gravina, idque oſtenditur ex perpetua traditione.

INſtituti mei ratio non poſtulat, ut hic dijudicem, quod a nonnullis magna diſſenſione certatur, an nempe veteres juſti ad æternam ſalutem aſſequendam indiguerint explicita Chriſti fide, an ſatis fuerit implicita, (quam quidem controverſiam dirimere facile quiſque poterit ex illorum textuum animadverſione, quos ex traditione depromere cœpimus ac porro pergemus) quoniam, quæ a P. Gravina de majori electorum numero agente expoſita ſunt, traditioni minus conſentanea, ea tantum examini ſubjicere intelligimus, atque ad traditionem rite perceptam exigere. Hinc in ejuſmodi diſputatione, quæ eſt

adverſus P. Gravinam, dimittentes ea, quæ minus ad Religionem, vel ad diſciplinam pertinent, eo tantum contendimus, ut probemus, Fidem eam, quæ fundatur in unius Dei Remuneratoris cultu (*a*) nec in præſenti, nec ullo alio tempore, ſive in veteri, ſive in novo fœdere ſatis eſſe, vel fuiſſe ad ſalutem, ſed oportuiſſe præterea mediatoris Fidem. Priuſquam autem perpetuam Eccleſiæ traditionem exhibeamus, animo repetenda ſunt, atque peropportune huc revocanda, quæ in præcedentibus Propoſitionibus potiſſimum de neceſſaria Chriſti cognitione conſulto diſſeruimus. Iis itaque præmiſſis, ne tempus inutiliter terere videamur, ſtatim ad inquirendam puram, germanamque traditionem manum admoveamus. Itaque.

Joannis 17. 3. *Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum*. Et cap. 3. v. 14. 18. & 36. *Ut omnis, qui credit in illum, non pereat: ut ſalvetur mundus per ipſum. Qui non credit jam judicatus eſt, quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei. Qui incredulus eſt Filio, non habet vitam, ſed ira Dei manet ſuper eum*. Idem cap. 14. 6. *Nemo venit ad Patrem, niſi per me*. Apoſtolus autem cap. 3. Ep. ad Rom. verſu 22. inquit. *Juſtitia Dei per Fidem Jeſu Chriſti in omnes, & ſuper omnes, qui credunt in eum: non enim eſt* di-

(*a*) Docet ex P. Halloix P. Gravina p. 603. *Nihil plus ad fidem in Gentilibus requiritur, quam ut unum Deum eſſe credant, eumque piorum, & impiorum juſtum remuneratorem.*

diſtinctio. Et ad Galatas cap. II. v. 16. *Ut juſtificemur ex Chriſti fide*. Et S. Petrus in Actibus Apoſtolorum cap. 4. v. 11. 12. 13. *Nec enim aliud nomen eſt ſub Cælo datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri*.

Patres Sæculi ſecundi.

S. Ignatius ad Philadelphienſes Ep. 4. num. 4, *In quo* (Chriſto) *etiam illi, qui crediderunt, ſalvi facti ſunt*. Et Ep. ad Smyrnenſes: *Nemo erret: niſi crediderit Jeſum Chriſtum in carne converſatum, & Crucem illius confeſſus fuerit, non aſſequetur vitam æternam*.

S. Iræneus lib. 4. contra hæreſes cap. 2. docet: non aliter ſalvari homines, *niſi credant in eum, qui in ligno Martyrii exaltatur a terra*.

Clemens Alexandrinus lib. 6. Stromatum: *Salvatoris*, inquit, *opus eſt ſalvare: quod quidem certe fecit, ut qui eos, qui in ipſum voluerint credere, per prædicationem ubicumque eſſent, traxerit ad ſalutem*. Eodem libro docet, *Abraham non eſſe juſtificatum ex operibus; ſed ex Fide Jeſu Chriſti, & myſteriorum ejus*. Et de veteribus philoſophis verba faciens eodem in libro, ſatis non eſſe, inquit, ſi eorum mores recte ſint compoſiti, niſi etiam alieni ſint ab idololatria, *& profiteantur fidem in Jeſum Chriſtum, quæ continet præcipua myſteria*.

Patres Sæculi tertii.

S. Cyprianus Ep. 73. ad Jubajanum pag. 283. edit. Venetæ anni 1728. *Qui Deum*, inquit, *Pa-*

trem Creatorem ſciebant, filium quoque Chriſtum ſcire debebant, ne ſibi blandirentur, & plauderent de ſolo Patre ſine Filii ejus agnitione, qui & dicebat. Nemo venit ad Patrem, niſi per me. Duorum autem cognitionem eſſe, quæ ſalvet, idem ipſe manifeſtat dicens: Hæc eſt autem vita æterna, ut cognoſcamus te ſolum, & verum Deum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum. Cum ergo ex ipſius Chriſti prædicatione, & conteſtatione Pater ante cognoſcendus ſit, qui miſit, tunc deinde Chriſtus, qui miſſus eſt, nec poſſit eſſe ſpes ſalutis, niſi duobus ſimul cognitis, nempe ut ſupra. Idem docet lib. 3. ad Quirinum cap. 42. & Ep. 63. & alibi. Cajus Ep. ad Felicem Epiſcopum: *Fides juſtificans impios, & creans juſtos ad humanitatis retracta principium in Chriſto acquirit ſalutem*. Similia docet Tertullianus lib. 4. contra Marcionem cap. 34.

Patres Sæculi quarti.

In Symbolo, quod Athanaſii nomine circumfertur, hæc leguntur: *Sed neceſſarium eſt ad æternam ſalutem, ut Incarnationem* quoque *Domini noſtri Jeſu Chriſti fideliter credat. . . . quam niſi quiſque fideliter, firmiterque crediderit, ſalvus eſſe non poterit*. Idem docet S. Baſilius *Hom*. 22., quæ eſt de humilitate, & Cyrillus Hieroſolymitanus *Catecheſi* 5. Et S. Epiphanius in *Ancorato*.

S. Hilarius lib. 3. Trinitate explicans ea verba: *Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum*, inquit: *non habet intervallum confeſſio credentium, quia in utroque ſpes vitæ*: & in Matthæum cap. 8. mo-

monet Scribas, *remiſſum eſse ab homine peccatum. Hominem enim tantum in Jeſu Chriſto contuebantur, & remiſſum ab eo, quod lex laxare non poterat.* Et de Trinitate lib. 6. *Si vero hæc ſola fides confeſſa Chriſtum Dei Filium, omnium beatitudinum gloriam meruit in Petro &c.* & lib. 10. *Dominum Jeſum Chriſtum confiteri, & a mortuis ſuſcitatum credere ſalus eſt.*

Idem docet S. Ambroſius lib. 9. Ep. 71. & 75. & Auctor Commentarior. in Ep. Pauli apud Ambroſium ad caput 4. Ep. ad Rom. hæc habet: *Sine operibus Legis credenti impio, hoc eſt, Gentili in Chriſtum reputatur Fides ejus ad Juſtitiam, ſicut Abrahæ: quomodo ergo per opera Legis Judæi juſtificari ſe putant, cum videant Abraham non ex operibus Legis, ſed ſola fide juſtificatum.*

Patres Sæculi quinti.

S. Hieronymus ad caput 2. Ep. ad Galatas inquit: *Sancti, qui antiquitus fuerunt, ex Fide Chriſti juſtificati ſunt.* Et ad caput 3. Ep. 1. ad Epheſios ait: *Fiducia atque acceſſus ad Deum, atque origo Fidei eſt in Chriſto.* Et lib. 1. Commentarior. ſuper caput 2. Ep. ad Galatas ſuper ea verba: *non juſtificatus eſt ex operibus Legis; ſed ex Fide Jeſu Chriſti*, inquit: *Sanctos, qui antiquitus fuerunt, ex Fide Chriſti juſtificatos.*

S. Auguſtinus lib. 18. de Civit. Dei cap. 47. *Non incongrue*, ait, *creditur fuiſſe, & in aliis gentibus homines, quibus hoc myſterium revelatum eſt, & qui hoc etiam prædicere impulſi ſunt.* Addit ibidem S. Doctor, *Multos inter gentes perti-*

nuiſſe ad civitatem ſpiritalem Jeruſalem. Quod nemini, inquit, *conceſſum fuiſſe credendum eſt, niſi cui divinitus revelatus eſt unus mediator Dei, & hominum homo Chriſtus Jeſus*. Et in lib. de corrept. & grat. cap. 8., & plenius Ep. CXC. olim CLVII. *Illa Fides*, ait, *ſana eſt, qua credimus, nullum hominem, ſive majoris, ſive parvæ ætatis liberari a contagio mortis, & obligatione peccati niſi per unum Mediatorem Dei, & hominum Jeſum Chriſtum*. Et in Pſ. 71. *credenti in eum*, inquit, (nempe Chriſtum) *qui juſtificat impium, deputatur Fides ejus ad Juſtitiam*. Et in Pſal. 104. *Non quiſquam præter iſtam Fidem, quæ eſt in Chriſto Jeſu, ſive ante ejus Incarnationem, ſive poſtea reconciliatus eſt Deo*. S. Proſper ad capitula Gallorum, reſponſione 8. *Nec alia gratia*, inquit, *aut alia fide quemquam hominum, ſive ante legem, ſive legis tempore juſtificatum eſſe credendum eſt, quam hac eadem, per quam Dominus noſter Jeſus Chriſtus ſecundum conſilium voluntatis ſuæ in fine ſæculorum venit quærere, & ſalvare, quod perierat*. S. Leo Papa ſermone 22., qui eſt tertius de Nativitate Domini pag. 74. Edit. Lugd. *Quod prædicaverunt Apoſtoli, hoc nunciaverunt Prophetæ . . . . Et hoc magnæ pietatis Sacramentum, quo totus jam mundus impletus eſt, tam potens etiam in ſuis ſignificationibus fuit, ut non minus, adepti ſint, qui in illud credidere promiſſum, quam qui ſuſcepere donatum*. Idem ſermone 29. pag. 37. *Hoc credentes Chriſtiani ſumus, veri Iſraelitæ, & in conſortium filiorum Dei veraciter adoptati. Omnes Sancti, qui Salvatoris noſtri tempora præceſſerunt, per hanc fidem juſtificati, & per hoc Sacramentum Chriſti corpus ſunt effecti*.

Idem

Idem docet ſermone 62. p. 137. & ſer. 63. pag. 138.

S. Cyrillus Alexandrinus lib. 10. theſauri cap. 8. *Subjectus*, inquit, *nunc quoque Chriſtus Patri eſt, non tamen pro omnibus, ſed pro ſolis credentibus in eum, pro quibus ſeipſum tamquam immaculatum Agnum Patri obtulit, ut ab omni peccato liberatos Patri offerret*. S. Petrus Chryſologus ſerm. 34. *Quid plura? Chriſtus mulieris docuit exemplo, quam fides ſola totam proficiat ad ſalutem*.

Patres Sæculi ſexti.

S. Gregorius Magnus Hom. 5. l. 2. ſuper Ezechielem: *Omnes electi . . . . in mediatorem Dei, & hominum crediderunt, & credunt*. Deinde: *Quoniam una fides, una ſpes eſt præcedentium, atque ſequentium populorum*. S. Fulgentius de Fide ad Petrum Diaconum, & de Incarnatione idem docet. Joannes Maxentius in Confeſſione fidei: *quapropter*, inquit, *nullum ab Adam uſque nunc per naturæ vigorem credimus eſſe ſalvatum, niſi dono gratiæ Spiritus Sancti in fide Domini Jeſu; quia non eſt aliud nomen ſub cælo &c. Credentes etiam omnes ab Abel uſque ad Chriſtum, ſi qui ſalvati ſunt, ea gratia, qua & nos eſſe ſalvatos &c.*

Primaſius Adrumeti, ſeu Juſtianopolis in Africa Epiſcopus ad cap. 4. Ep. ad Romanos eamdem tradit Doctrinam.

Pa-

Patres ſeptimi Sæculi.

Concilium Toletanum Sextum cap. 1. poſtquam expoſuit quæ credenda ſunt, hæc ſubdit: *Et non alia eſt in fide ſalus. Nec enim nomen aliud ſub Cælo datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri.* Idem docet S. Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus de ſummo bono lib. 2. cap. 2.

Patres Sæculi octavi.

Venerabilis Beda relatus a D. Bernardo in Epiſt. ad Hugonem de S. Victore cap. 3. *Unum*, inquit, *idemque Dominicæ crucis trophæum prius Prophetæ, & Moyſes, quam Apoſtoli noverant, & prædicabant: ſed Prophetæ hoc aliquoties velatis, figuratiſque ſermonibus; Apoſtoli autem, Apoſtolorumque ſucceſſores patefacta luce Evangelii ſemper aperte prædicabant: ita ut nunc omnis populus Chriſtianus ſcire, & confiteri debeat fidem, quam eo tempore pauci admodum, & perfectiores quique noverunt: quamvis omnis populus Dei, etiam tunc ejuſdem myſteria Fidei in legalibus cæremoniis typice portaret.* Idem docet S. Jo. Damaſcenus Orthodoxæ fidei lib. 4. cap. 12. & Alcuinus Diſcipulus Venerabilis Bedæ, & Diaconus Eboracenſis Epiſtola ad Carolum Regem.

Patres Sæculi noni.

Paſchaſius Radbertus in Commentar. ſup. Evang. Matthæi lib. 5. cap. 8. *Nemo putet*, inquit, *quod ſine Chriſto poſſit ad Deum perveni-*

nire. Ad Chriſtum autem nonniſi fide venitur.

Agobardus Lugdunenſis Epiſcopus Tom. XIV. Bibliotech. PP. p. 278. *Si dixiſſetis*, inquit, *Sanctos veteris Teſtamenti Chriſtianos dictos non eſſe, parva forſitan eſſet blaſphemia. Cum autem dicitis, non erant Chriſtiani, injuſte tantam multitudinem Sanctorum blaſphematis. At cum dicitis, non erat Chriſtus, tam grandis blaſphemia eſt, ut non multum diſtet ab illa Pauli Samoſateni prædicatione*. Tandem his verbis hunc Tractatum concludit: *Omnes enim ex Fide Chriſti juſtificati ſunt*.

Quod ſi omiſſo Chronologico ordine ulterius lubeat illorum Doctorum ſententias percurrere, qui ſequentibus ſæculis ſanctitatis, & doctrinæ laude floruerunt, difficilius certe erit exitum, quam principium invenire. Nonnulla tamen ex illuſtrioribus brevitatis ergo Proferam. S. Bernardus Abbas de Baptiſmo cap. 3. innixus S. Gregorii Magni teſtimonio inquit: *Ita ergo multi ante Salvatoris adventum Deum Omnipotentem tenentes, & diligentes ſuæ ſalutis gratuitum promiſſorem, credentes in promiſſione fidelem, ſperantes certiſſimum Redemptorem, in hac fide, & expectatione ſalvati ſunt*.

S. Bonaventura parte 1. diſt. 15. q. 1. *Sine fide ejus* (Chriſti) *nullus juſtificatur*.

D. Thomas pluribus in locis, potiſſimum autem 2. 2. q. 2. art. 7. quæſtionem hanc pertractat ex inſtituto, nimirum an ſit de neceſſitate ſalutis apud omnes explicite credere myſterium Incarnationis Chriſti? *Reſpondeo dicendum, quod ſicuti ſupra dictum eſt*, (art. 2. hujus quæſt.,

& q.

& q. 1. a. 8.) *illud proprie, & per ſe pertinet ab objectum fidei, per quod homo beatitudinem conſequitur. Via autem hominibus veniendi ad Beatitudinem eſt myſterium Incarnationis, & paſſionis Chriſti: dicitur enim Act. IV. 12. Non eſt aliud nomen datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri. Et ideo myſterium Incarnationis Chriſti aliqualiter oportuit omni tempore eſſe creditum apud omnes.*

Magiſter Sententiarum fultus teſtimoniis SS. Auguſtini, & Gregorii hanc ſtatuit veritatem certam. *Sine fide Mediatoris, nullum hominem vel ante, vel poſt fuiſſe ſalvum Sanctorum auctoritates conteſtantur.*

Dionyſius Carthuſianus ad cap. 2. Ep. ad Galatas: *Fides eſt virtus prima, ſine qua impoſſibile eſt placere Deo; nec ſine ea umquam aliquis eſt ſalvatus: ſicut enim per fidem nunc ſalvamur, qua credimus Chriſtum veniſſe, ſic veteres ſalvabantur per Fidem Chriſti venturi.* Joannes Trithemius Epiſtola ad Jacobum Theologum: *Veram quæram ſalutem, & ſapientiam, quæ in ſola Fide Domini noſtri Jeſu Chriſti formata exiſtit.*

Pro coronide tandem perpetuæ traditionis adjiciendum puto teſtimonium Eccleſiæ Lugdunenſis in libro trium Epiſtolarum cap. 18. Tom. 15. Bibliot. PP. p. 676. l. A. *Unum eſt, quod & nos fideliſſime credimus, & veriſſime novimus, nempe Chriſtum ſalvaſſe, & ab Inferis liberaſſe ſolos illos, qui & fideliter eum ſperaverunt venturum, & fideliter per eum Redemptionem, & liberationem ad ſalutem ſe accepturos eſſe crediderunt, ſanctos videlicet Patriarchas, & Prophetas, & cæteros juſtos.*

CA-

CAPUT VII.

Nullus ſive Ethnicus, ſive Mahometanus, Hæreticus, Schiſmaticus, Hebræus in novo ſœdere ſine explicita Chriſti fide ſalutem æternam aſſequi valet.

NOvimus ex traditione hucuſque expoſita neminem, ne in veteri quidem Lege abſque Mediatoris fide ſalutem æternam aſſequi potuiſſe, quæ aut explicita fuit, etiam quoad myſteria non ſolum Incarnationis, ſed & paſſionis, & reſurrectionis, quemadmodum in veteribus Patriarchis, & inſignioribus electis ſpeciali Spirirus Sancti lumine afflatis, vel implicita quoad ipſa myſteria, in Sacrificiorum nempe ſignificatione, ut in rudibus; quod quidem ex ſententia mea promere non audeo, ſed quæſtionem magno æſtu exagitatam more ſuo aperiens D. Thomas 2. 2. quæſt. 2. art. 7. ſic plane definit. „ Poſt peccatum, inquit, fuit explicite creditum myſterium Incarnationis Chriſti, non ſolum quantum ad Incarnationem, ſed etiam quantum ad Paſſionem, & Reſurrectionem, quibus humanum genus a peccato, & morte liberatur: aliter enim non præfiguraſſent Chriſti paſſionem quibuſdam ſacrificiis, & ante legem, & ſub lege: quorum quidem ſacrificiorum ſignificatum explicite majores cognoſcebant; minores autem ſub velamine illorum ſacrificiorum credentes ea divinitus eſſe diſpoſita de Chriſto venturo, quodammodo habebant velatam cognitionem. Et ſicut ſupra dictum eſt,

„ ea,

„ ea, quæ ad myſteria Chriſti pertinent, tanto „ diſtinctius cognoverunt, quanto Chriſto pro- „ pinquiores fuerunt. “ Idem docet D. Bernardus Abbas Tract. de Baptiſmo cap. 3. Verum quidquid ſit de neceſſitate Fidei explicitæ Chriſti ad ſalutem in veteri lege, (aliis enim hanc dijudicandam cauſam reliquimus) ad id, quod maxime rem, cauſamque continet, ſtudium omne, operamque conferamus, inquirendo nimirum, an in novo fœdere a quolibet, ſive Ethnico, ſive Mahometano, ſive Schiſmatico ad ſalutem aſſequendam neceſſario exigi debeat explicita Chriſti fides. Hoc aperte negat P. Gravina in Corollario ab initio expoſito, inquiens; *Ethnicos, Mahometanos, Hæreticos, Schiſmaticos, Hebræos turmatim ſalutem aſſequi ſempiternam fide implicita .... Quare, qui fide ſalvi fiunt implicita, & Chriſtiani a nobis occulti dicuntur, re Chriſtiani ſunt, nomine tenus Ethnici, Mahometani, Hæretici, Schiſmatici*. En in propatulo doctrina P. Gravinæ, quam dubio procul accipiendam eſſe de iis, qui fide implicita ſalutem in novo fœdere aſſequuntur, nemo ambiget, qui & rationem loquendi nempe præſenti, non tempore præterito, & Acatholicorum genera, quæ recenſet, parum animadvertat.

Verum quis eſt in Theologicis diſciplinis vel mediocriter verſatus, vel etiam quis non tam craſſioris Minervæ Catholicus, qui hæc audiens non offendatur? Pura tamen, etſi a Gravina convellitur, atque immota permanebit Eccleſiæ doctrina, quæ ad ſalutem aſſequendam explicitam Chriſti fidem de neceſſitate medii ab omnibus poſtulat poſt ſufficientem Evangelii factam

pro-

promulgationem, quæ Apoſtolorum tempore contigit. Doctrina autem Eccleſiæ una, atque eadem eſt cum iis, quæ ſacræ litteræ, & SS. Patres tradiderunt, a quibus ipſa doctrinam accepit.

Doctrinam itaque de neceſſitate explicitæ mediatoris fidei primum eruendam arbitror ex Sacris Codicibus, in quibus pervolvendis primo nobis ſe offert ipſemet Chriſtus Joannis cap. 3. inquiens: *Qui non credit in eum, jam judicatus eſt, quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei*. Ubi animadvertas velim ad gehennam damnari, qui non credit in nomine Filii Dei in carne aſſumpta; nam ibi de ſemetipſo Chriſtus loquebatur; quod maxime conſonum eſt cum iis, quæ docet ipſemet Joannes cap. 17. *Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum*. Præterea Marci XVI. v. 15. legitur. *Euntes in mundum univerſum prædicate Evangelium omni creaturæ. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur*. Idem docet Matthæus cap. ultimo. Quibus in teſtimoniis notandum maxime venit, non ſolum non credere, qui Chriſtum negat; ſed etiam, qui ignorat, cum impoſſibile cenſeri debeat, aliquem credere poſſe in Chriſtum, quem ipſe ignorat. Et tamen ſi mediatoris fides in novo fœdere eſſet tantum de neceſſitate *præcepti*, non autem *medii*, ignorantia poſſet aliquando eum a damnatione eripere. At abſolute una cum Evangeliſtis docet Apoſtolus non juſtificari hominem, *niſi per fidem Jeſu Chriſti* ad Galatas 2. En neceſſitas medii eadem plane, ac in his verbis contenta: *Niſi quis renatus fue-*

fuerit &c. Nec enim (inquit Petrus Act. IV.) *eſt aliud nomen ſub cælo datum hominibus , in quo oporteat nos ſalvos fieri .*

Ne autem quis opponat, in his textibus non aliud ſignificari, quam Chriſti fidem contentam in unius Dei Auctoris , & Remuneratoris fide , præter ea , quæ dicta ſunt, Patrum quoque intelligentiam inquiramus . S. Hieronymus in cap. 1. Ep. ad Epheſios : *Non ante filii eſſe poſſumus , quam filii ejus Jeſu Chriſti fidem , & intelligentiam recipiamus* . Intelligentia autem quid ſignificare videtur , niſi expreſſam Chriſti notitiam ? S. Auguſtinus lib. 1. de prædeſtinat. Sanctor. c. 7. *Si poſſet Cornelius ſine fide Chriſti ſalvus eſſe , non ad eum ædificandum mitteretur Petrus architectus* . Quibus verbis quid reſpondere valeant adverſarii plane non video. Satis enim compertum eſt, Cornelium unum Deum coluiſſe, quemadmodum legimus in Actibus Apoſtolorum cap. X. v. 2. *Vir autem quidam erat in Cæſarea, nomine Cornelius . . . . religioſus, ac timens Deum cum omni domo ſua , faciens eleemoſynas multas plebi, & deprecans Deum ſemper* . Si autem in unius Dei Remunerantis fide, quem enixe colebat, implicite contineretur mediatoris fides, quæ ad ſalutem ſatis eſſet, falſa foret hæc Auguſtini dicendi ratio, quod ad eum ædificandum mitteretur Petrus , quod tamen aſſerere maxime temerarium eſſet . Procul igitur propellantur inanes Fidei implicitæ voces , quibus in Confeſſione unius Dei Remuneratoris etiam Chriſtum intelligi volunt.

Idem S. Doctor de corrept. & grat. cap. 7. *A damnatione non ſe liberabunt , qui dicere poterunt*

runt ſe non audiviſſe Evangelium. Quam igitur neceſſitatem tantum præcepti obtrudere poſſunt adverſarii, ſi ignorantia Evangelii, quod non eſt, niſi hiſtoria perſonæ, & doctrinæ Chriſti, excuſare illosnulla tenus valet : Et infra : *Quicumque ab illa damnatione iſta divinæ gratiæ largitate diſcreti ſunt, non eſt dubium, quod & procuratur eis audiendum Evangelium, & cum audiunt, credunt*. Et in lib. de peccato Originis cap. 14. *Sine Fide Incarnationis, & Mortis, & Reſurrectionis Chriſti, neque antiquos juſtos, ut juſti eſſent, a peccatis potuiſſe mundari, & Dei gratia juſtificari veritas Chriſtiana non dubitat*. Quod ſi de veteribus Juſtis differens S. Doctor id ab iis poſtulare non dubitat, (quod eo duce inter veritates Chriſtianas jure recenſeri debet) an minor fides a nobis exigenda erit ? Quinimo Ep. 157. n. 24. inquit : *Poſtea quam vero magnum pietatis Sacramentum manifeſtum eſt in carne, & vocandis omnibus gentibus Chriſti adventus illuxit, in quem illi patres crediderant, ſed hujus fidei olivam ſuo tempore manifeſtandam, in illius arboris, de qua Apoſtolus loquitur, tamquam radice ſervabant &c.* Ac de natura & gratia cap. 2. num. 2. *Si autem non gratis Chriſtus mortuus eſt, ergo omnis humana natura juſtificari, & redimi ab ira Dei juſtiſſima hoc eſt vindicta nullo modo poteſt, niſi per fidem, & Sacramentum ſanguinis Chriſti*. Verum quid opus eſt pluribus, cum plura teſtimonia ex iis, quæ antea ex traditione delibavimus, opportune hic traduci queant, & cum doctrina Eccleſiæ in ſymbolo Athanaſiano expoſita hujuſmodi ſit. „ Quicumque vul ſalvus eſſe, ante omnia opus eſt, „ ut teneat Catholicam fidem, quam niſi quiſ-

„ que integram, inviolatamque ſervaverit, abſ-
„ que dubio in æternum peribit . . . . Sed ne-
„ ceſſarium eſt ad æternam ſalutem, ut Incarna-
„ tionem quoque Domini noſtri Jeſu Chriſti fi-
„ deliter credat . . . . quam niſi quiſque fideli-
„ ter, firmiterque crediderit, ſalvus eſſe non po-
„ terit. “ Et Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 6. *Diſponuntur autem ad ipſam Juſtitiam, dum excitati divina gratia, & adjuti fidem ex auditu concipientes libere moventur in Deum, credentes vera eſſe, quæ divinitus revelata, ac promiſſa ſunt; atque illud in primis, a Deo juſtificari impium per gratiam ejus, per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Jeſu*.

Præterea hoc intereſt diſcrimen inter veterem legem, & novam, quod in ea Chriſtus ſub legalium cæremoniarum nube adumbratus intelligebatur; in hoc vero umbris recedentibus lux vera ubique prædicatur adveniſſe, & antiqua vaticinia compleſſe. Quapropter ſicut olim fides implicita, quæ rationi ſignificandi venturum Meſſiam plane reſpondebat, ad ſalutem neceſſario exigebatur; ita æquum eſt, ut hodie, quia aperte Chriſtus enunciatur, & fides explicita ad ſalutem neceſſaria haberi debeat. Hoc perſpicue docet D. Thomas, cujus nitidiſſima Doctrina rem totam conficiet. Ait itaque 2. 2. quæſt. 2. art. 7. *Poſt tempus autem gratiæ revelatæ tam majores, quam minores tenentur habere fidem explicitam de myſteriis Chriſti, præcipue quantum ad ea, quæ communiter in Eccleſia ſolemnizantur, & publice proponuntur; ſicuti ſunt articuli Incarnationis, de quibus ſupra dictum eſt. Alias autem ſubtiles conſiderationes circa Incarnationis articulos tenentur*

tur aliqui magis, vel minus explicite credere ſecundum quod convenit ſtatui, & officio uniuſcujuſque. An *rudis* exiſtimandus D. Thomas, qui ſcandalum puſillorum patiatur, quia ita urget in novo fœdere neceſſitatem explicitæ Chriſti Fidei?

Verum & in III. diſt. XXV. q. 11. art. 2. quæſtiunc. 2. *In tertio autem ſtatu poſt myſterium Chriſti, quia jam myſterium Chriſti completum eſt, & corporaliter, & viſibiliter prædicatum, omnes tenentur ad explicite credendum; & ſi aliquis inſtructorem non haberet, Deus ei revelaret, niſi ex ſua culpa remaneret.*

Verum ſilentio prætereundum non eſt Achilleum, quod vocant, argumentum, quo unice Gravinæ ſententia fulciri videtur. Inquiunt enim, plures ex Ethnicis, Mahometanis, Hebræis, Schiſmaticis, ab actu fidei explicitæ Chriſti eliciendo rationabiliter excuſari. Cum enim Evangelii nuncius ad eos ſingulariter non pervenerit, & nihil umquam de Chriſto audierint, vel ſi Hæretici ſint, aut Schiſmatici, cum nihil umquam erroribus, quibus ab ineunte ætate imbuti ſunt, contrarium ſenſerint, invincibili ignorantia laborant ex Evangelio dicente: *Si non veniſſem, & locutus eis fuiſſem, peccatum non haberent.* Quapropter cum Chriſti notitia ad eos non fluxerit, eorum culpæ vertendum non erit, ſi explicitam Chriſti fidem non emiſerint.

Magno quidem verborum apparatu hæc expoſita ſunt ad minus cautos decipiendos, qui verborum cortici acquieſcunt, ſolidam vero rationem ponderare non valent. Meum tamen con-

ſilium eſt agere nunc cum iis, qui Theologiam excolunt, ne in ſcenam iterum reducere cogar, quæ Theologis ſatis perſpecta ſunt. (*a*) Ut itaque

(*a*) S. Juſtinus Martyr in Dialogo cum Triphone p. 345. Edit. ann. 1615. „ Nec una, inquit, eſt „ hominum natio, ſive barbarorum, ſive græco„ rum, ſeu etiam aliorum omnium, quocumque „ appellentur nomine, vel in plauſtris degen„ tium, vel domo carentium, vel in tentoriis vi„ ventium, & pecora alentium, inter quos per „ nomen Crucifixi Jeſus, preces & gratiarum „ actiones Patri, & Conditori Univerſi non „ fiant. " S. quoque Irenæus lib. 1. cap. 11. contra hæreſes: „ Eccleſia, inquit, per univerſum „ orbem utique ad fines terræ ſeminata, & ab „ Apoſtolis, & Diſcipulis eorum accepit eam fi„ dem, " Et hi erant eorum diſcipuli, qui Apoſtolos audierant. Clemens quoque Romanus Ep. ad Corinthios §. 5. tom. 1. de Paulo verba faciens. „ In Oriente, inquit, & Occidente verbi præco „ factus illuſtrem ſuæ fidei famam ſortitus eſt, „ in Juſtitia mundum univerſum inſtruens, & ad „ Occidentis penetrans terminos: " Tertullianus contra Judæos cap. 7. „ In quem alium, inquit, „ univerſæ gentes crediderunt, niſi in Chriſtum „ qui jam venit? Cui enim & aliæ gentes cre„ diderunt, Parthi, Medi, Elamitæ, & qui ha„ bitant Meſopotamiam, Armeniam, Phrygiam, „ Cappadociam, & incolentes Pontum, & Aſiam, „ & Pamphyliam, immorantes Ægyptum, & re„ gionem Africæ, quæ eſt trans Cyrenem, inha„ bitantes Romani, & incolæ, tunc in Jeruſa„ lem Judæi, & cæteræ gentes, ut jam Getu„ lorum varietates, & Maurorum multi fines, & „ Hiſpanorum omnes termini, & Galliarum di„ verſæ nationes, & Britannorum inacceſſa Ro„ ma-

que adductis difficultatibus ſatisfaciam, dicendum primo mihi videtur, difficulter admodum perſuaderi cuique poſſe poſt Evangelii promulgationem neque obſcuram, neque confuſam ullam ideam Chriſti Ethnicis, vel Mahometanis fuiſſe; vel in dubitationem nullam incidiſſe errorum ſuorum Schiſmaticos, & Hæreticos, ullo umquam vitæ ſuæ tempore. Hanc autem confuſam cognitionem, aut dubitationem ſatis eſſe ad peccata ignorantiæ, præter alios uberrime oſtendit Claris. Confrater tuus P. Michael Elizalde lib. 1. de forma veræ Religionis. Hæc enim ænigmatica cognitio; & dubitatio eos excitare debet ad accuratam veri inquiſitionem, quæ, ſi ut decet, peracta fuerit, ad veri cognitionem tandem Dei munere pervenient. Neque enim tantum culpæ imputandum eſt, quod verum iter aggredi non cœperint, ſed etiam quod non pervenerint, quo pervenire oportebat.

„ manis loca Chriſto vero Deo ſubdita, & Sarmatarum, & Dacorum, & Germanorum, & Scytharum, & abditarum multarum gentium, & provinciarum, & Inſularum multarum nobis ignotarum, & quæ enumerare non poſſumus; in quibus omnibus locis Chriſti nomen, qui jam venit, regnat . . . . . Chriſti autem Regnum ubique porrigitur, ubique creditur, & ab omnibus gentibus ſupra enumeratis colitur, ubique regnat, ubique adoratur, omnibus ubique tribuitur æqualiter. " Idem docet l. 4. de princip. c. 1. & l. 2. contra Celſum pag. 110. Edit. Cantabrigenſis. Adeundi quoque ſunt Euſebius l. 1. Præpar. Evang. c. 3., & lib. 2. Hiſt. Eccleſ. c. 3. Lactantius lib. 5. Inſtit. Div. & alii.

Quod vero maxime ad rem facere videtur, illud eſt, utrum revera Ethnici &c. Evangelii præcones audierint, necne? Apoſtolus cauſæ judex conſtituatur, qui eamdem plane ſibi difficultatem proponit Ep. ad Rom. c. 10. v. 11. *Quomodo*, inquit, *invocabunt, in quem non crediderunt? Quomodo autem credent ei, quem non audierunt?* Priuſquam autem ad argumenti ſolutionem ab Apoſtolo petitam deveniamus, rem ab ipſo Apoſtolo altius repetendam eſſe exiſtimo. Ipſe itaque in omnibus ferme epiſtolis, maxime vero ad Rom. cap. 10. neceſſitatem fidei Chriſti, tum ad juſtificationem, cum ad ſalutem ita inſinuat, ut nulla omnino haberi queat Juſtitia ſecundum Deum ſine Chriſti, fide. Mox adverſariis morem gerens continenter ſibi objicit, qua ratione adigi poſſint ad Chriſti fidem, qui eam habere nullo modo valent. At qui talia proferunt, eos remittit Apoſtolus ad Scripturam, inquiens: *Sed quid dicit Scriptura? Prope eſt*, & juxta originalem textum *prope te eſt*. Legimus enim: ἐγγῦς σε ἐςὶν, *verbum in ore tuo, & in corde tuo, hoc eſt verbum fidei, quod prædicamus, prædicabant autem Apoſtoli Jeſum Chriſtum, & hunc Crucifixum*. At ſi Apoſtolus invincibilem ignorantiam agnoviſſet, ita ne a propoſita difficultate ſe expedire putaſſet? Præſcius tamen Apoſtolus, quod elata quædam ingenia urgere non deſinerent, eo quod mente aſſequi non valerent, qua ratione ad remotiſſimas quaſdam gentes verbum Dei emanare potuerit, utpote qui omnia intelligere ſibi ſuadent; ſapienter iterum hoc adverſariorum effugium ſibi præ oculis ponit, inquiens: *Quomodo ergo invocabunt, in quem non crediderunt? Quo-*

modo

modo autem credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient ſine prædicante? Quomodo vero prædicabunt, niſi mittantur? Neque ideo Apoſtolus difficultati ceſſit, aut ullas gentes excuſandas putavit; verum definitivam ſententiam tali pacto profert.

Sed dico, inquit, *numquid non audierunt? Et quidem* (*immo vero juxta textum*) *in omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum*. Quam reſponſionem inde confirmat Apoſtolus ex Iſaia dicens: *Inventus ſum a non quærentibus me; & palam apparui iis, qui me non interrogabant*. Quapropter etſi ignoremus, qua ratione verbum Dei ad Indos (*a*) & America-

C 4 nos,

(*a*) Magna diſſenſione certatur inter eruditos de Apoſtolis, an in Americam penetraverint, & Evangelium invexerint, nec ne, aliis inter eos id acriter affirmantibus, aliis vero aperte negantibus. Qui enim affirmant, oracula Prophetarum, quæ habentur Iſaiæ II. v. 2. Malachiæ cap. I. v. 11. Zach. IX. v. 10. XIV. v. 9. Pſalm. 11. v. 8. &c. in medium adducunt, quæ exitum ſortita non eſſent, niſi Apoſtoli in Americam contendiſſent. Conferenda ſunt quoque ea teſtimonia, quæ in hac re accurate collegit Petrus Daniel Huetius Demonſtr. Evang. Prop. IX. cap. CLVIII. p. 589. & ſeq. edit. Pariſ. an. 1679. Ad hanc tuendam ſententiam adducuntur quoque hujus ſententiæ patroni ex indiciis Chriſtianæ Religionis, quæ in ea mundi parte ſupererant. Hermannus enim Witſiws Miſcel. Sacr. Tom. II. pag. 417. edit. ann. 1712. num. XVII. „ Teſtantur illi, qui res Indiæ ſumma cura, ac fide conſignarunt, partim etiam „ ipſi oculis ſuis luſtrarunt, non obſcura adhuc

„ veri

nos, & ad alias remotas regiones emanare potuerit, non ideo tamen impudenter negandum eſt, quod

„ veri cultus indicia apud barbaros exſtitiſſe, „ tum cum Columbus, aliique Luſitani, aut Hiſ„ pani eo appellerent. Refert Petrus Martyr Hi„ ſtoricus in Tractatu de Inſulis nuper repertis, „ ſacerdotes quoſdam Americanos in Regno Me„ xicano ſupra Darienem anniculos pueros, puel„ laſque in templis aqua in crucem cum urceolo „ ſuperinjecta baptizare viſos fuiſſe. Sacroſan„ ctæ etiam cœnæ adumbrationes alii ſibi depre„ hendere viſi ſunt, immo & adorandæ Trinita„ tis quædam rudimenta: quæſitos autem unde hæc ſi„ miliaque haberent, reſpondiſſe: *Tranſiviſſe aliquan„ do virum formoſiſſimum per eos tractus, qui ea „ ipſis reliquerit*. Joannes Lerius de Braſilienſibus „ teſtatur (Hiſtor. Navig. in Braſil. cap. XV. „ pag. 231. edit. ann. 1590.) quod animorum „ immortalitati adſtipulantur. Refert etiam, ſe „ aliquando cum ipſis de vero Dei cultu, de crea„ tione rerum, de labe, & ruina generis humani, „ & ſimilibus Religionis Chriſtianæ capitibus diſ„ ſeruiſſe, quibus, poſtquam duas & amplius horas „ magna cum admiratione, & attentione auſcul„ taſſent, demum quemdam ex ſenioribus reſpon„ diſſe: *habere ſe ex aliorum relatu, jam inde a „ priſcis temporibus, & ante plurimos annos, ho„ minem noſtro more veſtitum, & barbatum in il„ lorum deveniſſe terras, qui ſimili oratione ipſos „ ſub Dei obſequium adducere conatus ſit: quum „ autem majores ipſorum Fidem non adhiberent, mox „ ſucceſſiſſe alium, qui enſem, ſymbolum maledi„ ctionis illis traderet. Ab eo tempore bella, & diſ„ ſenſiones perpetuas inter ipſos viguiſſe.* " Conſule Georgium Hornium de Originibus Americanis lib. IV. cap. XV. pag. 226. & ſeq. & Thomam Malvendam Dominicanum lib. IV. de Antichriſto cap. XXXVIII. pag. 306. & ſeqq. edit. An. 1647. & la

quod tam expreſſe affirmat Apoſtolus; & confirmant SS. Ambroſius lib. 8. Comm. in Luc. cap. 18. Leo Magnus ſerm. 1. de jejunio, Iſidorus lib. 2. contra Judæos, & Joannes Chryſoſtomus Tom. VIII. operum edit. Montfauc. pag. 9. Hugo de S. Victore lib. 2. de Sacram. parte 6. cap. 2. Etſi fortaſſis verbi Dei præcones illuc non tranſmeaverint, defuiſſe ne Deo dicendus eſt modus, quo Evangelii tuba ad eos pervenire potuerit? Quis enim cognovit ſenſum Domini? Aut quis conſiliarius ejus fuit? Ex quo intelligi facile poteſt, quam inſcite adverſarii ad ſuam adjuvandam ſententiam producant ea verba: *Si non ve-*

& la Mothe la Vayer de la virtù des Payens tom. 1. opp. pag. 558. & ſeq. Vide quoque clariſſimum Stilingfleet orig. ſacrar. parte 2. cap. 1. & Pfannerum in ſyſtemate Theol. Gent. Si hæc, ut vera admittantur, conficitur fuiſſe initio ſaltem aliquos, qui Chriſtianam Religionem profiterentur. Sed qui contrarium ſentiunt, ajunt Prophetarum mentem non fuiſſe, ut poſt Chriſti Aſcenſionem continuo in univerſum orbem Chriſtiana Religio inveheretur, ne remotiſſimis quidem plagis exceptis; ſed nullam gentem in mundo futuram, quæ non aliquando Chriſti religione imbueretur: quod conſimilibus dicendi rationibus a Scriptura Sacra mutuatis confirmare nituntur.

Suſpecta vero ſunt permultis, & iis quidem doctiſſimis ea, quæ referunt Scriptores de veſtigiis Chriſtianæ Religionis. Conſule eundem Thomam Malvendam Dominicanum lib. IV. de Antichriſto cap 38., & la Mothe la Vayer De la virtù des Payenſ. tom. 1.

Noſtra parum intereſt, ex iis quænam vera habenda ſit ſententia.

veniſſem, & locutus eis fuiſſem, peccatum non haberent. Reſponſio enim ſatis obvia eſt ex iis, quæ ſtatim ſequuntur. Legimus enim: *Nunc autem*, (nempe in lege nova) *excuſationem non habent de peccato ſuo*.

Unde appoſite S. Ambroſius ſerm. 8. in Pſalm. 118. *Miſericordia Domini plena eſt terra; ſed ſol Juſtitiæ omnibus ortus eſt, omnibus &c. Si quis autem non credit, generali beneficio ipſe ſe defraudat, ut ſiquis clauſis feneſtris radios ſolis excludat*.

Verum ut liberaliter, fortaſſis etiam plus æquo cum adverſariis agamus, demus nunc ex Ethnicis nonnullos non audiviſſe revera Evangelium; nihilominus inexcuſabiles eos Sancti Patres judicaverunt. Etenim S. Auguſtinus lib. de gratia, & lib. arbitrio cap. 3. „ Illa ignorantia, „ inquit, quæ non eſt eorum, qui ſcire nolunt, „ ſed eorum, qui tamquam ſimpliciter neſciunt, „ neminem ſic excuſat, ut ſempiterno igne non „ ardeat, ſi propterea non credidit, quia non „ audivit omnino quod crederet, ſed fortaſſis, „ ut mitius ardeat; non enim ſine cauſa dictum „ eſt: effunde iram tuam in gentes, quæ te non „ noverunt. “ Idem docet Tract. 89. in Joannem, & Ep. 105. ad Sixtum.

Tertullianus inſuper lib. 5. adverſus Marcionem: „ Utique, inquit, is Deus judicabit, cujus ſunt & „ lex, & ipſa natura, quæ legis inſtar eſt ignorantibus legem. Judicabit autem quomodo? Secundum „ Evangelium, inquit, per Chriſtum. “ Et in Apologetico adverſus gentes c. 40. inquit: „ Semper hu- „ mana gens male de Deo meruit; primo quidem, ut „ inofficioſa ejus, quem cum intelligeret ex parte, „ non requiſivit, ſed & alios inſuper ſibi com-

„ men-

„ mentataeſt, quos coleret: dehinc quod non in-
„ quirendo Innocentiæ Magiſtrum, & Nocentiæ
„ Judicem, & exactorem, omnibus vitiis, & cri-
„ minibus inolevit. Cæterum, ſi requiſiiſſet, ſe-
„ queretur ut cognoſceret, & recognoſceret re-
„ quiſitum, & recognitum obſervaret, & obſer-
„ vatum magis propitium experiretur, quam ira-
„ tum. Eumdem ergo nunc quoque ſcire debet
„ iratum, quem & retro ſemper, priuſquam &
„ Chriſtiani nominarentur. “ Tandem conclu-
dit: *Illius rea eſt, cujus, ſeu cui & ingrata*. Et Joannes Chryſoſtomus hom. 7. in Joannem:
„ In præſenti autem neceſſarium eſt id caritati
„ veſtræ exponere. Si illuminat omnem homi-
„ nem venientem in hunc mundum, quonam
„ pacto tot homines ſine lumine permanent? Ne-
„ que enim omnes cultum Chriſti agnoſcunt:
„ quomodo ergo illuminat omnem hominem?
„ illuminat profecto quantum in ipſo eſt. Si qui
„ autem ſponte ſua mentis oculos claudentes hu-
„ jus lucis radios percipere nolint, non ex lumi-
„ nis natura evenit, quod in tenebris maneant,
„ ſed ex malitia eorum, qui ſponte tanto dono
„ ſe privant. Nam gratia in omnes diffuſa eſt,
„ non Judæum, non Græcum, non Barbarum,
„ non Scytham, non liberum, non ſervum,
„ non virum, non mulierem, non ſenem, non
„ juvenem averſatur &c. Qui autem ejus mune-
„ re frui nolunt, hanc cæcitatem ſibi ipſis im-
„ putent, oportet. “ Extat Tom. VIII. edit. Venetæ 1741. p. 48. L. B. Idem docet S. Proſper lib. 2. de vocatione gentium cap. 5. præter alios, quos brevitatis gratia prætermitto.

Hæc SS. Patrum teſtimonia ideo inexcuſabi-

les

les conſtituunt eos, qui non audierunt, quia propriis criminibus oppreſſi lumen illud, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, nequaquam intuentur; & quia uberiori lumine, & inſtructione, etiamſi opus fuerit, per angelum indignos ſe exhibent: quam quidem doctrinam nitide exponit Hugo de S. Victore lib. 2. de Sacramentis parte 6. cap. 2. „ Si quis „ autem, inquit, pertinax eſſe velit, & adhuc „ ejuſmodi aliquos in ignotis regionibus, & re- „ motis terrarum ſedibus degere contendat, qui „ forte mandatum divinum de percipiendo Ba- „ ptiſmatis Sacramento non acceperint; ego vel „ neminem talem eſſe, vel ſi forte aliquis eſt, „ ſi ejus culpa non obſtiterit, audire, & ſcire „ potuiſſe, & debuiſſe, ſine cunctatione affir- „ mo, maxime cum Scriptura evidenter clamet: „ in omnem terram exivit ſonus eorum, & in „ fines orbis terræ verba eorum. Si igitur in „ omnem terram ſonus eorum, & in omni ter- „ ra quidem vel auditi ſunt, & contemptores „ condemnantur, vel auditi non ſunt pro culpa „ ſua, & ignorantes ignorantur, & non ſalvan- „ tur." Idem docet S. Bernardus Hugonis amiciſſimus Ep. 77. ad ipſum Hugonem. Eamdem antea doctrinam tradiderat S. Auguſtinus Epiſt. 49. „ Ab initio, inquit, generis humani alias „ occultius, alias evidentius, ſicut congruere „ temporibus divinitus viſum eſt nec prophetari „ deſtitit, nec qui in eum, (ideſt Chriſtum) „ crederent, defuerunt ab Adam uſque ad Moy- „ ſem, & in ipſo Populo Iſrael, qui ſpeciali quo- „ dam myſterio gens prophetica dicta eſt, & in „ aliis gentibus, antequam veniſſet in carne.

„ Cum

„ Cum enim nonnulli commemorantur in ſan-
„ ctis hebraicis libris jam ex tempore Abrahæ,
„ nec de ſtirpe carnis ejus, nec ex populo
„ Iſrael, nec ex adventitia ſocietate in Iſrael
„ populo, qui tamen hujus Sacramenti partici-
„ pes fuerunt, cur non credamus etiam in cæ-
„ teris hac, atque illac gentibus alias alios fuiſ-
„ ſe? - - - - Ita ſalus Religionis hujus, per
„ quam ſolam veram ſalus vera, veraciterque
„ promittitur, *nulli umquam defuit*, *qui dignus*
„ *fuit*, *&* *cui defuit dignus non fuit*." En con-
ſultiſſimam, & tanto Doctore dignam ratiocina-
tionem!

Alienus quoque fuit ab hac invincibili igno-
rantia admittenda circa fidem, & legem Dei S. Thomas, qui eam explodit in 7. ſent. diſtinctione 39. quæſt. 3. art. 2. & quæſt. 17. de veritate art. 4. Et in cap. 14. ad Rom. ſeſſ. 2., & in ſumma 1. 2. q. 19. art. 6., & in ſent. in 2. diſt. 22. q. 2. art. 1. Poſt explicatam ignorantiam concludit. *Unicuique enim peccatum eſt ignorantia eorum*, *quæ ad bonos mores*, *&* *fidei veritatem pertinent*. Rationem affert pluribus in locis, cur hæc ignorantia eos non excuſet, & hanc cauſalem ubique prædicat, quia *eſt ignorantia ejus*, *quod ſcire tenetur*. Et de enutrito in ſylvis, vel inter lupos ſi faciat, quod in ſe eſt, vel Angeli miniſterio, vel alia ratione a Deo inſtruendum certiſſime tenendum eſſe cenſuit. Inquit enim de ver. quæſt. 14. art. 11. *Certiſſime tenendum eſt* (ait de illo in ſylvis enutrito) *quod ei Deus vel per internam inſpirationem revelaret ea*, *quæ ſunt credenda*, *vel aliquem fidei prædicatorem ad eum dirigeret*. Et quidem communi

ni Theologorum calculo receptum eſt axioma illud a Patribus ſæpe uſurpatum, & a Tridentino ſancitum, nimirum: *Facienti quod in ſe eſt* (auxilio Dei) *Deus non denegat gratiam*. Quemadmodum & illud: *Deus non deſerit*, *niſi prius deſeratur*. Si ergo doctrina Chriſti quis imbutus non eſt, ejus culpæ tribuendum certiſſime eſt, qua inſtructionem demeruit.

Eamdem doctrinam firmatam novimus ex S. Bonaventura in 7. diſt. 22. art. 2. quæſt. 2.; ex Scoto in quartum diſtinct. 9. q. 8. §. *Si autem*, ex Durando, Alexandro Antiſiodorenſi, Guilelmo Pariſienſi, Adriano, Alberto, ex Corduba, qui ait, communiſſimam veterum ſententiam fuiſſe, poſt Evangelii factam promulgationem, quæ contigit tempore Apoſtolorum, nullam ſupereſſe ignorantiam invincilem Fidei explicitæ Chriſti; ex Molina quoq. 1. p. q. 1. art. 1. ex Sanchez l. 2. in Decalogum cap. 2. num. 8. & ſeq. ex Vaſquezio 2. diſp. 120. cap. 1., ex P. Michaele Elizalde, aliiſque tuis confratribus doctiſſimis, ad quos accurate perlegendos, ne longius protrahatur oratio, P. Gravinam libenter remitto. Unum luculentiſſimum Sancti Franciſci Xaverii teſtimonium pro coronide hujus Propoſitionis addendum puto. Percontanti enim Japoniæ Regi, cur illuc acceſſiſſet, hoc ei reſponſum dedit, eo ſe miſſum *Divinæ legis prædicandæ gratia*, *quippe cum nemo*, *quin Deum*, *ejuſque filium Jeſum Chriſtum omnium gentium vindicem*, *ac Salvatorem caſte*, *pieque coleret*, *ſalvus*, *atque incolumis eſſe non poſſit*. Ita ille Ep. 7. lib. 3.

Mihi liceat nunc orationem ad te convertere, qui tam fidenter doctrinam tradis ab Evangelica ve-

veritate maxime alienam, quam traditio ad noſtra uſque tempora deducta exprobrat, & damnat, quam ſpectabilis Theologorum conſeſſus fortiter impetit, atque graviſſimis ſententiarum jaculis proſternit. Inanis profecto eſſet gloriatio noſtra, qua militiæ Chriſtianæ addicti ſumus, ſi Ethnici, Mahometani, Hæretici, Schiſmatici, Hebræi ſalutem aſſequerentur ſempiternam. Parum id eſſet, niſi etiam *turmatim* in regnum a noſtro Theologo veherentur. At niſi mea me fallat opinio, evanuit hæc turma a fulgidiſſima inducta luce, quæ eam ſempiternis tenebris addixit. Nec perpauci ex iis, quorum nomina ſcripta ſunt in libro vitæ, alio modo in electorum album referuntur, quam aperta confeſſione, quod unus eſt mediator Dei, & hominum homo Jeſus Chriſtus. Et quoniam non eſt aliud nomen ſub cælo datum, in quo oporteat nos ſalvos fieri, hinc iis Ethnicis, Mahometanis &c. qui ſecundum rationem vixerunt, revelatur, ſi opus fuerit, etiam per Angelum. At quoniam raro contingit aliquem innocuam ducere vitam, & a peccatis omnino ſe abſtinere, hinc familiare credi non debet, quod inter miracula eſt jure recenſendum. Quapropter evaneſcit, iterum repeto, turma illa Ethnicorum &c., qui in vitam ſpiritualem, & æternam ingredi nequeunt, quia corde, & ore eum non confiteatur, qui eſt via, veritas, & vita.

CA-

CAPUT VIII.

Afferuntur, & diluuntur objecta P. Gravinæ.

Veritatis indoles non patitur, ut miſſa faciamus, quæ ad oppoſitam tuendam ſententiam conducere videntur. Neque enim ii ſumus, qui ita ſententia noſtra delectemur, ut præcipua adverſariorum argumenta diſſimulemus, quod difficilis cauſæ indicium eſt, (ut erudite notat Chriſtophorus Matthæus Pfaffius, Academiæ Tubingenſis Cancellarius in diſſert. apologet. §. 10.) aut tritiora tantum ponamus: verum nobis in animo eſt ex iis, quæ protulit P. Gravina ad ſuam ſtabiliendam ſententiam, ea omnia in medium adducere, quæ aliquam ſoliditatis apparentiam præſeferunt. Neque enim vere ſolidum dici poteſt, quod a graviſſimo perpetuæ traditionis pondere opprimitur. In iis autem perlegendis illud continuo præ oculis habere debemus, an ex iis, quæ profert, ſequatur Corollarium illud, nimirum ſatis eſſe in novo fœdere ad æternam ſalutem aſſequendam fidem implicitam, quæ fundatur in unius Dei Remuneratoris cultu, quod Theologus noſter inde ex iis inferre vellet.

§. I.

§. I.

Objectiones P. Gravinæ.

DE infidelium itaque ſalute diſſerens P. Gravina, ex iis, quæ P. Petrus Halloix S. J. de Orientalis Eccleſiæ PP. II. ſæculi Chriſtiani vitis, & documentis ſcribit, hæc Patrum teſtimonia decerpit, inter quæ exhibet primo S. Juſtini verba, quæ extant in Apol. I. ad Anton. Pium num. 46. edit. Maur.

I. *Qui cum ratione* (inquit S. Juſtinus) *vixerunt, Chriſtiani, etiamſi Athei, æſtimati ſunt, quales inter Græcos fuere Socrates, Heraclitus,.... ac multi alii, quorum actionibus, aut nominibus recenſendis, quia longum id eſſe ſcimus, nunc ſuperſedemus.*

II. Clemens Alexandrinus lib. V. Stromatum num. XI. edit. Zattæ. *Sacrificium Deo*, ait, *acceptum eſt corporis, & ejus affectionum non pœnitenda ſeparatio. Is eſt etiam verus Dei cultus - - - Hoc etiam ſibi vult Pithagoræ quinque annorum ſilentium, quod præcipit diſcipulis: ut ſcilicet averſi a rebus ſenſibilibus nuda mente Deum contemplarentur.* Sed hoc ad rem leve eſt. Lib. II. & VI. Stromatum „ de his fidelibus occultis, de hac fide „ implicita, de hiſce Electis, qui Cælum ingrediuntur (fas mihi id ſit dicere) perpoſticum; hi inquam duo Clementis libri hac „ de re copioſiſſime diſſerunt; unde ſolida „ diſputatio confici poſſet. Hos, cui eſt otium, conſulat, ut dubitationem omnem ponat.

III. S. Iſidorus (*a*) enumeratis decem ſibyllis ſubdit: *Quarum omnia carmina efferuntur, in quibus de Deo, & de Chriſto, & de gentibus multa ſcripſiſſe manifeſtiſſime comprobantur*. Sigebertus Gemblacenſis in ſua Chronographia ad annum Chriſti 782. hæc narrat: (*b*) *Conſtantinopoli quidam laminam auream invenit, & in ea virum jacentem cum hac ſcriptura: Chriſtus naſcetur ex Virgine Maria, & credo in eum. Sub Conſtantino & Irene Imperatoribus* (hoc anno una „ regnabant) *o Sol, iterum me videbis*. Cadaver eſ„ ſe Ethnici pro certo habitum eſt. Quidam vo„ lunt fuiſſe Platonis. Pro certo habeo criticos „ faſtidioſiſſimi palati, qui noſtra hac ætate graſ„ ſantur, exſibilarent utique hæc omnia, ſaltem „ ex parte. "

IV. S. Dionyſius Areopagita (*c*) de Angelis hæc habet: *Primario, & multipliciter Deum participant imprimis, ac multis modis arcanum Dei manifeſtant. . . . Per ipſas* (Naturas Angelicas) *nobis noſtræ revelationes tranſmittuntur. . . . Illos celebres ante legem patres noſtros Angeli ad Deum adducebant, aut quod agendum erat, exponentes, & ab errore, & vita profana ad rectam vitam veritatis traducentes; aut manifeſtantes ſacros ordines, aut myſteriorum, quæ ſupra Mundum ſunt,* ab-

(*a*) Extr. c. VIII. l. VIII. Orig. ſive Ethym.
(*b*) Extat T. I. Scrip. Rer. German. edit. Francofurti 1613. p. 555.
(*c*) C. IV. de Cæleſt. Hier. ex interpret. Balt. Corderii S. J. §. II. & III. edit. Zattæ 1755.

abditas viſiones, aut *divinas quaſdam prædictiones*, *tanquam nuntii*, & *miniſtri explanantes* . . . . . *His divinis viſis præclari illi Patres noſtri miniſterio Angelorum initiabantur*.

V. S. Chryſoſtomus (*a*). *Injuſtene*, ait, *agitur cum iis*, *qui ante ad ventum ejus* (Chriſti) *vixerunt*. *Nequaquam*. *Poterant enim nec Chriſtum confeſſi ſalutem conſequi*. *Non enim hoc ab illis exigebatur*; *ſed ne Idola colerent*, & *ut verum Deum noſſent* (*Dominus enim*, inquit, *Deus tuus Dominus unus eſt*.)... . *Nunc vero ſatis non eſt*, *ſed Chriſtum noſſe oportet* . . . . *Quod enim ii*, *qui Chriſtum non noverunt*, *ante carnalem adventum*, & *qui ab idololatria reſilientes Deum unum adorarunt*, & *probam duxere vitam*, *omnia bona conſecuturi ſint*, *audi quomodo dicat*: (*Gloria autem*, *honor*, & *pax omni operanti bonum*, *Judæo primum*, & *gentili*:) *Videri bonorum præmia multa illis eſſe*, & *contra facientibus ſupplicia*, & *pœnas*.

VI. S. Gregorius Nazianzenus (*b*) pro concione de Patre hæc habuit ſuo. *Ille ante etiam*, *quam ad noſtram caulam* (Catholicorum) *ſe contuliſſet*, *noſter erat*: *morum quippe probitas eum nobis vendicabat*. *Nam quemadmodum ex noſtris plerique nobiſcum non ſunt*, *quos ſcilicet a communi corpore flagitioſa vitæ ratio ſeparat*: *ſic e contra permulti exterorum a nobis ſtant*, *quicumque* ni-

(*a*) Hom. XXXVI. in Matth. n. 3. & 4. Tom. VII. Op. edit. Maur. Pariſ. p. 411. 412.

(*b*) Or. de funere Patris Jacobo Billio interprete ſub initio.

nimirum fidem moribus antevertunt , ac ſolo Chriſtiani nomine carent , cum rem ipſam habeant . Quo in numero meus quoque Pater erat ; ramus quidem ille alienus , cæterum morum honeſtate ad nos propendens .

§. II.

Diluitur primum Objectum .

℞. VErum critices legibus exculti minime ſunt , qui verborum cortici tantum inhærent . Ut enim mentem alicujus Patris plane aſſequi valeamus , perſpectum nobis eſſe debet , quam controverſiam tunc exagitaret S. Pater , contra quos orationem convertere intenderet , quam difficultatem ſibi diluendam proponeret . Hæc enim omnia , quæ ex ſanis critices legibus hauriuntur (ſi adjiciendum putes etiam ad vim originalis textus rationem habendam eſſe) maxime ad rem noſtram facere videntur . S. itaque martyr Ignatius *num.* 44. ſolida doctrina præoccupat difficultatem Tryphonis Juſtino objicientis num. *6*4. ejuſdem Apologiæ, Chriſtianis licere per ſe, ut Jeſum Chriſtum colerent, at Judæis Deum ipſum colentibus opus minime eſſe, ut Chriſtum confiteantur , & colant . Ut huic difficultati occurrat S. Juſtinus, Tryphonem remittit ad doctrinam expoſitam num. 44. , quæ eſt de Juſtis ante Incarnationem mortuis , quam ille diſſimulare videtur . Inquit enim : " Si igitur animum „ ad ea, quæ ex Scripturis attuli , advertiſſe„ tis , eos etiam, qui ex veſtro genere ſalvan„ tur, per hunc ſalvari, atque in ejus parte eſ-

ſe

„ ſe intellexiſſetis profecto, nec me videlicet ea „ de re eſſetis percontati." Quis non videt cauſam ſuam prodere Juſtinum, & arma adverſariis miniſtrare, ſi quem ſine Fide in Chriſtum ſalvum eſſe concedat? Tantum abeſt, ut unam ſemper, ac eamdem ſalutis viam fuiſſe contendat. „ At nos quidem, inquit num. 43., qui per „ Chriſtum ad Deum acceſſimus, non iſtam car„ nis circumciſionem accepimus, ſed ſpiritualem, „ quam Henoch, ejuſque ſimiles, cuſtodierunt. „ Et num. 113. Lapideos igitur cultros verba „ ejus (Chriſti) intelligemus, per quæ tot a „ præputio homines, qui in errore verſabantur, „ cordis circumciſione circumciſi ſunt, qua „ quidem ut ii etiam circumciderentur, qui „ circumciſionem ab Abrahamo initium ducen„ tem habebant, jam tum Deus per Jeſum hor„ tatur; quippe cùm eos, qui in ſanctam illam „ terram ingrediebantur, a Jeſu circumciſionem „ cultris lapideis accepiſſe dicat." Quapropter jure ad omnes ætates referendum eſt, quod ait S. Juſtinus num. 28. „ Quin etiam ſi quis Scytha, „ aut Perſa, habeat autem Dei cognitionem, & „ Chriſti ejus, & ſempiterna juſta obſervet, cir„ cumciſus eſt præclara, & utili circumciſione, „ & amicus Deo, ejuſque donis, & oblationi„ bus Deus delectatur." Quis unquam ex his anceps hæreret S. Juſtinum luculentiſſimum non eſſe Redemptionis myſterii propugnatorem? Opinatur tamen P. Gravina innixus auctoritate unius P. Halloix, quamvis alii (*a*) & eruditionis quidem

D 3

(*a*) Hanc S. Juſtino doctrinam affingunt Auctor nodi

dem fama conſpicui idem ſentiant, ab hac deſciviſſe ſententia S. Juſtinum in adducto teſtimonio.

Verum non nude, nec ſolitarie verba accipienda ſunt, ſed cum antecedentibus, & ſubſequentibus conferenda, ut inde mentem alicujus S. Patris dignoſcere poſſimus. Et ne litem nobis intentent adverſarii de vera, & genuina adducti teſtimonii intelligentia, quam allaturi ſumus, integrum textum primo exhibeamus: τὸν Χριστὸν πρωτότοκον τοῦ Θεοῦ εἶναι ἐδιδάχθημεν καὶ προεμηνύσαμεν (*a*) Λόγον ὄντα οὗ πᾶν γένος ἀνθρώπων μετέσχε. Καὶ οἱ μετὰ λόγου βιώσαντες Χριστιανοί εἰσιν Κἂν ἄθεοι ἐνομίσθησαν. οἷοι ἐν Ἕλλησι μὲν Σωκράτης, καὶ Ἡράκλειτος, καὶ οἱ ὅμοιοι αὐτοῖς. ἐν βαρβάροις δὲ Ἀβραὰμ, καὶ Ἀνανίας, καὶ Ἀζαρίας, καὶ Μισαὴλ καὶ Ἠλίας, καὶ ἄλλοι πολλοὶ ὧν τὰς πράξεις, ἢ τὰ ὀνόματα Καταλέγειν μακρὸν εἶναι ἐπιστάμενοι τανῦν παραιτούμεθα. Quæ verba ita latine ſonant, nempe: Chriſtum primogenitum Dei eſſe,

---

di prædeſtinationis ſoluti, & Jacobus Payva in explicationibus orthodoxis, ut videre eſt apud Simonium in Epiſt. Select. 24. t. 3., & doctiſſimus Senonenſis Abbas Diſſert. in Epiſt. Pauli p. 67. inquit: „ Juſtinus martyr ſtatuit veteres Philoſo„ phos, qui conſentanee rationi vixerunt; jam „ tum, etſi Jeſum Chriſtum non cognoſcebant, „ Chriſtianos fuiſſe, quia illius præcepta, & do„ ctrinam ſequebantur, tales fuiſſe apud Græ„ cos Socratem, & Heraclitum, & nonnullos „ alios. "

(*a*) Vocem λόγος ab excellentiſſimo Joanne Lamio non ſine magna animi noſtri voluptate ſubtiliter, copioſe, & erudite examinatam perſpeximus in Commentariis *de recta Chriſtianorum in eo, quod attinet myſterium Divinæ Trinitatis ſententia*.

ſe, & rationem illam, cujus omne hominum genus particeps eſt, didicimus, & ſupra declaravimus. Qui cum ratione vixerunt, Chriſtiani ſunt, etiamſi athei exiſtimati ſint, quales apud Græcos fuere Socrates, & Heraclitus, & eorum ſimiles; apud barbaros autem Abraham, Ananias, Azarias, Miſael, & Elias, & alii multi, quorum actionibus, & nominibus recenſendis, quia longum id eſſe ſcimus, nunc ſuperſedemus.

Ea itaque *Ratio*, cnm qua Socrates, & Heraclitus, & eorum ſimiles vitam duxerunt, juxta S. Juſtini mentem ſane, & ſincere intellectam eſt ipſemet Chriſtus, quatenus, Verbum, ſeu ratio eſt, cujus omne hominum genus Particeps effectum eſt. Hinc mirum videri non debet, ſi qui cum hac ratione vixerunt, illuſtri Chriſtianorum nomine a S. Martyre nuncupentur. Dum enim a S. Patre tam præclaro nomine inſigniuntur, non ſtatim intelligi debet eos per fidem Chriſti a peccati ſorde mundatos, ſed tantum eorum vitam rationi conſentaneam Chriſtianum ſapere, utpote cum Chriſtianis in hac re apprime conveniebant, & quia in eis nihil doctrinæ, aut virtutis illuxit, quod a Verbo non acceperint. Non ab alio profecto hanc reſponſionem mutuati ſumus, quam ex ipſo S. Juſtino, qui Apologia 2. num. 10. inquit: " Quæcumque præclare unquam dixere, „ aut excogitavere Philoſophi, aut legum lato- „ res, hæc invento, & conſiderato aliqua ex „ parte Verbo elaborarunt. " Ubi animadvertas velim eandem hic uſurpari vocem λόγος ad deſignandum Verbum, quam adhibuerat ad deſignandam rationem. Et num. 13. „ quæcumque apud

 „ alios

„ alios omnes præclare dicta ſunt, ea noſtra ſunt „ Chriſtianorum. “

Cæterum tam alienus fuit S. Pater a concedenda juſtificatione, & ſalute Ethnicis, qui in mediatorem non crediderint, ut diſerte ſecernat eos, qui modico verbi lumine irradiati fuerint ab iis, qui tanto fulgore perciti ſunt, ut Fidem Chriſti etiam ex eo expreſſerint. Apologia enim 2. num. 8., & 10. declarat Chriſtianos totaliter, & proprie eos nuncupari, qui *non ad partem aliquam diſſeminatæ rationis vitam inſtituunt*, *ſed ad totius*, ideſt *Chriſti cognitionem*, & *contemplationem*. Fatetur ſiquidem partem aliquam lucis in Gentilibus ſplendeſcere, non autem tantam, quæ eos ab omni erroris labe liberet; quemadmodum ſatis conſtat iis, qui eorum volumina pervolvunt, in quibus plura ſibi invicem pugnantia reperiuntur. Concludit tandem S. Pater, non per inſitum rationis lumen, ſed per communicationem ſupernaturalis gratiæ medicinam nobis pervenire. *Natum enim*, inquit, *ex ingenito*, & *non enarrabili Deo Verbum ſecundum Deum adoramus*, & *amamus; quandoquidem propter nos homo factum eſt, ut perpeſſionum noſtrarum particeps factum, medicinam illis faceret. Omnes enim Scriptores per inſitum rationis ſemen potuere illi quidem verum videre, ſed ſubobſcure. Aliud enim eſt ſemen alicujus*, & *imitatio pro viribus conceſſa*, *aliud ipſum illud*, *cujus communicatio*, & *imitatio ſecundum ipſius gratiam conceditur*. Quocumque ergo te vertas, adverſarium habes, quem patronum maximum putabas. Nec ulterius immorandum eſſe exiſtimo in ſcopo S. Martyris ſibi proponentis tantum inquiſitionem cauſæ, qua

æter-

æternis pœnis juſte addicti ſint, qui Chriſti tempora præceſſerunt; non vero qua ratione nonnulli ex iis ſalutem æternam aſſequi potuerint. „ Ne qui autem, inquit, a ratione aberrantes „ ad ea, quæ docuimus, detorquenda, Chriſtum „ dicant ante annos centum, & quinquaginta na- „ tum a nobis dici ſub Cyrenio, ac poſt illud „ tempus ea docuiſſe, quæ illum docuiſſe dixi- „ mus ſub Pontio Pilato; indeque conſequi ob- „ jiciant, ut inſontes ſint homines omnes, qui „ ante illud tempus fuere, dubitationis ſolutio- „ nem occupabimus. “ Scopus ergo S. Martyris, etiamſi alia non extarent argumenta, ſatis eſſet ad litem omnem a P. Gravina inductam de doctrina hujus martyris præſcindendam. Verum de S. Juſtino ſatis. Ad alia nunc pergamus explananda teſtimonia.

§. III.

Diluitur ſecundum objectum.

S. Clemens Alexandrinus adducto in teſtimonio nec attingit quidem quæſtionem, quam pertractat P. Gravina. Ille enim ſermonem habet de ſacrificio, quod Deo maxime acceptum eſt, ſcilicet affectionum noſtrarum, & ut a rebus ſenſibilibus alieni Deum pura mente contemplemur. Hæc qua ratione traduci queant ad Fidem implicitam Chriſti, plane non video. Qua propter & ipſe Gravina argumenti imbecillitatem agnoſcens, poſt relatum teſtimonium ſtatim adjiciendum putavit. *Sed hoc ad rem leve eſt.* Dicam ego, immo leviſſimum, & nullius ponderis.

Nam

Nam S. Clemens eodem in libro numero præcedenti aperte inſinuat ex Apoſtolo Gentiles, qui divini muneris largitate in ſortem vocati ſunt æternæ hæreditatis, revelationis Chriſti participes effectos. Inquit enim: „ *Scio quod veniens* „ *ad vos veniam in plenitudine benedictionis Chri-* „ *ſti*. Spiritale donum, & traditionem nempe „ gnoſticam, iis præſentibus præſens cupit im- „ pertire (neque enim ea poterant ſignificari per „ Epiſtolam) plenitudinem Chriſti vocans per „ revelationem myſterii ſecundum mandatum æter- „ ni Dei ad obedientiam fidei in omnes gentes „ cogniti; hoc eſt in eos, qui ex gentibus eum „ eſſe credebant. Paucis autem ex his oſtenditur „ quænam ſint ea, quæ ſunt in myſterio. " Quid aliud autem complectitur myſterium hoc gentibus revelatum, niſi Chriſtum? Et quidem poſt pauca myſticum ſenſum aperit verborum Apoſtoli, quæ habentur Cor. II. *6*. 1. nempe, *lac vobis potum dedi*, *non cibum &c.* inquiens: „ Si ergo „ lac quidem eſt infantium, cibus autem perfe- „ ctorum nutrimentum dictus eſt ab Apoſtolis: „ lac quidem intelligetur Catecheſis, veluti pri- „ mum nutrimentum animæ: cibus autem epo- „ ptica contemplatio: quæ ſunt ipſæ carnes, & „ ſanguis Logi, hoc eſt comprehenſio Divinæ „ potentiæ, & eſſentiæ. *Guſtate*, *& videte*, in- „ quit, *quod Chriſtus eſt Dominus*. Sic enim ſe „ ipſum impertit iis, qui ſunt talis cibi ſpiri- „ tualis participes. " Verum doctrinam hanc uberius inquiramus in lib. II. & VI. Stromatum, ad quos nos provocat P. Gravina, quamvis nullum ex iis depromat teſtimonium.

Ex iis itaque libris, quos accurate perlegen-

dos

dos duxi ad mentem Sancti Patris aſſequendam, uberrima documenta hauſi ad ſententiam, quam uſque adhuc tradidi, firmandam accomodatiſſima: nihil autem inveni, quod cauſæ P. Gravinæ poſſit quovis modo adjuvare. Quamvis enim Græcis Philoſophis tribuat S. Pater Dei cognitionem lumine naturali acquiſitam, docet tamen imperfectam maxime fuiſſe illorum notitiam, utpote lumine fidei minime colluſtratam, & Chriſti cognitione carentem: nec deſinit umquam docere eos rationem ex B. Petro Apoſtolo, & ex Apoſtolo, qua ad Dei cognitionem poſſint pervenire perfectam. Inquit enim ex Petro ferme cuncta colligens lib. VI. Stromatum num. 8. p. 759. edit. Zattæ: „ Cognoſcite ergo unum eſſe Deum, qui „ fecit omnium principium . . . . & per quem „ facta ſunt omnia, qui comprehendi non poteſt „ æternus, ab interitu alienus, non factus; qui „ omnia fecit verbo virtutis ſuæ. “ Quæ extrema verba ſic Græce leguntur λόγῳ δυνάμεως αὐτοῦ. Per hanc enim dicendi rationem interpretationem myſticam intelligit, ſecutus in hac phraſi Barnabam, qui in Ep. ſua cap. *6.*, ubi verba Moyſis citaverat: *Intrate in terram bonam, quam juramento promiſit Dominus Abrahamo, & Iſaaco, & Jacobo, & ut hæreditatem poſſidete eam terram fluentem lacte, & melle*, ſtatim ſenſum ſpiritualem, & myſticum ſubnectit inquiens: τί λέγει ἡ γνῶσις, μάθετε. ἐλπίσατε ἐπὶ τὸν ἐν σαρκὶ μέλλοντα φανερῦσθαι ὑμῖν Ἰησοῦν., nempe *quid dicat cognitio, diſcite. Sperate in Jeſum, qui in carne manifeſtandus eſt vobis*. Quæ verba alibi citat Clemens Alexandrinus nempe lib. V. Stromatum. Poſt recitata autem verba ſtatim ſubdit: „ Hunc Deum

„ co-

„ colite, non ut Græci, utpote quod eumdem, „ quem nos, colunt Deum, ſed non perfecta cognitione, ut qui a filio datam non didicerint „ traditionem. Et quod ita ſe habeat, utpote „ quod nos ipſi, & Græci eumdem Deum novecrimus, ſed non ſimiliter, ſic rurſus infert hoc „ modo: Neque colite, ut Judæi: etenim illi „ ſoli ſe Deum noſſe putantes neſciunt, ſe adorare Angelos, & Archangelos, Menſem, & „ Lunam; & niſi Luna apparuerit, non agunt „ Sabbathum, quod vocant primum, neque agunt „ Neomeniam, neque azyma, neque feſtum, neque magnum diem. Deinde ejus, quod quærimus, infert Colophonem; quare vos quoque „ ſancte, & juſte, quæ vobis tradimus, diſcentes ſervate, noviter Deum per Chriſtum colentes: " Qui igitur juſtam, & ſanctam vivendi rationem noſſe cupiunt, Deum & Chriſtum confiteri, & religioſe colere eos decet. *Nec enim aliud eſt nomen ſub cælo datum, in quo oporteat nos ſalvos fieri*. Ita enim neceſſariam prædicat Chriſti fidem ad ſalutem obtinendam, ut qui etiam ante Chriſti adventum Deo placuerunt, Evangelii præcones ad eos perveniſſe exiſtimet. Inquit enim eodem in libro num. *6.* „ *Annunciate in gentibus ſtudia ejus, ne injuſte* „ *judicentur*. Si ergo iis, qui erant in carne, „ propterea annunciavit Evangelium, ne injuſte „ condemnentur: quomodo non iis etiam, qui „ exceſſerunt ante ejus adventum, propter eamdem annunciavit cauſam. *Juſtus enim Dominus*. " Et paulo ante dixerat. „ Quid vero? „ Annon ſignificant Dominum annunciaſſe Evangelium, & iis, qui perierant in Diluvio ....

„ ope-

„ operatur autem, ut exiſtimo, Servator; quan„ doquidem ejus eſt opus ſervare, & ſalvum fa„ cere, quod quidem certe fecit, ut qui eos qui „ in ipſum voluerint credere per prædicationem, „ ubicumque eſſent, traxerit ad ſalutem . . . . „ Sin autem Judæis ſolum annunciavit Evange„ lium, quibus defuit ea, quæ eſt per Servato„ rem cognitio, & fides, clarum eſt utique, „ quod cum apud Deum nullus ſit perſonarum „ reſpectus, Apoſtoli quoque ſicut hic, ita & il„ lic annuntiaverunt Evangelium iis, qui ex „ gentibus erant apti ad converſionem . . . . . „ Jam vero in Petri prædicatione dicit Domi„ nus ad diſcipulos poſt Reſurrectionem. Elegi „ vos duodecim diſcipulos, judicans eſſe me di„ gnos, quos voluit Dominus, & fideles ratus „ eſſe Apoſtolos, mittens in mundum ad annun„ ciandum Evangelium hominibus, qui ſunt in „ orbe terrarum, ut cognoſcant unum eſſe Deum, „ per meam Chriſti fidem, futura ſignifican„ tes: ut qui audierint, & crediderint, ſalvi „ fiant."

Libro autem II. Stromatum, poſtquam egregie oſtendit Philoſophorum ſcientiam, quæ demonſtratione innititur, maxime differre a ſupernaturali Fidei dono, pergit ad expoſitionem textus Apoſtoli Rom. 10. *Quomodo vero invocabunt, in quem non crediderunt?* inquiens: „ Nondum „ intelligimus demonſtrationem eſſe verbum Do„ mini. . . . Divinum verbum clamavit omnes „ ſimul vocans, eos quidem vel maxime cogno„ ſcens, qui non erant parituri, & tamen quo„ niam eſt in noſtra poteſtate parere, & non pa„ rere, ut nulli poſſint cauſari prætextum igno-

„ rantiæ, juſtam fecit vocationem. Quod autem „ præſtare poſſunt uniuſcujuſque vires exigit. “ Gradum inde facit ad aliud explicandum Apoſtoli teſtimonium tali ratione ſibi viam ſternens: „ Si autem eædem manſiones a Prophetis, & nobis, & rurſus Patriarchis annunciantur, oſtenditur unum eſſe Deum utriuſque Teſtamenti. „ Subjungit itaque manifeſtius Hæreditatis teſtamentum Iſrael dicens ei, quæ eſt ex gentibus, „ vocationi, quæ erat aliquando ſterilis hujus „ viri, qui eſt verbum, quæ prius fuerat deſerta a ſponſo. Juſtus autem ex fide vivit, quæ „ eſt in Teſtamento, & præceptis, quoniam hæc „ duo nomine, & tempore, ætate, & profectu „ data æconomice, cum poteſtate quidem unum „ ſint, illud quidem novum, hoc vero vetus per „ filium ab uno Deo ſuppeditantur. Qua ratione dicit etiam Apoſtolus Ep. ad Romanos. *Juſtitia enim Dei in ipſo revelatur ex fide in fidem unam, quæ ex Prophetia perficitur in Evangelio, per unum, & eumdem Dominum docens ſalutem. Hoc*, inquit, *præceptum commendo tibi, filii Timothee, ſecundum præcedentes in te prophetias, ut milites in illis bonam militiam.* “ Conſuluimus lib. II. & VI. Stromatum, non quidem obiter, & perfunctorie, ſed accurate, & ex inſtituto, & doctrinam traditam delibavimus, quæ ſi opus eſſet, ulterius protrahi etiam poſſet. Hinc ambigendi locus non ſupereſt de S. Clementis doctrina, non quidem quoad fidem implicitam, quam tradit P. Gravina, ſed quoad neceſſariam Chriſti notitiam, quam in utroque fœdere acquiſierunt, qui electi fuere in ipſo ante mundi conſtitutionem.

§. IV.

§. IV.

Diluitur tertium objectum.

AD S. Iſidori verba quod attinet, nihil aliud ex iis deduci poſſe videtur, quam quod Sibyllæ (*a*) plura de Deo, & de Chriſto, & de gentibus ſcripta reliquerint, quæ perierunt. Num ex his inferendum, quod & Chriſti confeſſionem emiſerint, & ad ſalutis portum appulerint?

(*a*) Sibyllæ nomen, ſi Thyſio fides habenda eſt, originem ducit a voce hæbrea Sabal, quæ *ferre*, *geſtare* ſignificat, eo quod Sabulæ, ideſt Sibyllæ dæmonem in pectore portent. Hinc Sibyllarum antiquiſſima Sabula, vel Sambethe dicta eſt: unde *Pythoniſſa* apud Hebræos, Pythia penes Græcos dicta eſt. Thyſius Miſcellan. cap. 13. A munere fortaſſe, & officio, non ab arte, aut dono ita fuerunt cognominatæ; a locis vero, aut ſpecubus crebro celebratæ. Unde Lactantius lib. 1. p. 10. edit. Ald. „ Marcus Varro, inquit, quo nemo ſumquam „ doctior, ne apud Græcos quidem, nedum apud „ Latinos vixit, in libris rerum divinarum, quos „ ad C. Cæſarem P. Maximum ſcripſit, cum de „ XV. viris loqueretur: Sibyllinos libros, ait, non „ fuiſſe unius Sibyllæ, ſed appellari uno nomine „ Sibyllinos, quod omnes fœminæ vates, Sibyllæ „ ſunt a veteribus nuncupatæ, vel ab unius Delphidis nomine, vel a conſiliis Deorum denun- „ tiandis. “ Vide quoque S. Jo. Chryſoſt. Hom. 20. in Corinth. 22. Strabon. l. 5. & 15. Anton. Van-Dale de Orac. vet. Ethn. p. 155. edit. Amſtelod. & opus Cl. P. Franciſci Leoni Pub. Pat. Prof.

rint? At magnum intereſt diſcrimen inter Prophetiam, & ſupernaturale fidei donum, quemadmodum ſatis compertum eſt. Hinc Clariſ. P. Franciſcus Leoni pub. Prof. Pat. in opere de Sibyllis ad calcem notæ pag. 16.: *quomodo*, inquit, *fuerunt Sibyllæ perfuſæ aliqua fide, ſi tamquam pſitaci locutæ ſunt?* Quod tum Clemens Alexandrinus, tum Joannes Damaſcenus oſtendunt pluribus in locis de vatibus, & divinis agentes. Et revera S. Juſtinus Martyr Orat. ad Gentiles Sibyllas reſpiciens: *Res multas*, inquit, *& magnas recte, & vere dicunt, nihil eorum, quæ loquuntur, intelligentes*. Idem docent S. Clemens Alexandrinus, & Jo. Damaſcenus pluribus in locis. Præterea commemorat S. Juſtinus Sibyllam una cum Orphæo: ac per reſponſa, & ſortes vaticinatam eſſe aſſerit. Et S. Clemens Alex. ſingula ſacrorum vatum nomina recenſet lib. I. Stromatum p. 400. edit. Zattæ, tum virorum, tum mulierum; & ne Sibyllas quidem attingit; quin immo ſermonem habens pag. 399. de profanis vatibus, qui ſive apud barbaros, ſive penes Græcos futura protendiſſe dicuntur, Sibyllarum quoque turbam nominat, inquiens: „ Et Sibyllarum turba, Sa„ mia, Colophonia, Cumæa, Erithræa, Phyto, „ Taraxandra, Macetis, Theſſala, Thesprotis." Et poſt pauca de his omnibus profanis vatibus hæc habet pag. 400. „ Sed illi quidem fures „ omnes, & latrones, ut docet Scriptura, plu„ rima ex obſervatione, & ex veriſimilibus præ„ dixerunt, ſicut medici, & vates, qui ex re„ gula naturæ conjectant: alii autem etiam a „ Dæmonibus incitati, vel per aquas, & ſuffi„ tus, & aerem aliqua qualitate præditum per-

„ tur-

„ turbati: apud Hebræos autem Dei virtute, & „ inſpiratione.“

Verum demus locutum eſſe Deum Sibyllarum ore. Quid inde? Etiam per vatem Balaam Iſraeli benedixit Deus; hoſtibus autem ejus maledixit. Per vaticinium quoque Regis Babylonis Nabucodonoſor capiendam eſſe Jeruſalem præſignificavit Ezech. 2. inquiens. *Et inſiſtet Rex Babylonis in viam antiquam, initio duarum viarum vaticinii vaticinandi, & virgæ concutiendæ, & ſculptilium percontandorum &c.* Deus enim non tantum per ſacros vates, quæ futura erant, præfatus eſt, ſed per eos itidem, qui a vero cultu ſunt alieni, præmonſtravit. Ex gratuito igitur Prophetiæ dono animorum obſequium, & verax Dei cultus, & Chriſti fides deſumi nequeunt.

Quod vero attinet ad verba illa, quæ in lamina aurea inſculpta fuiſſe ferunt, tantum abeſt, ut ex iis Fides implicita argui poſſit, ut potius explicita ibi aperte aſſeratur. Nam quidquid ſit de facti veritate (parum enim noſtra intereſt) ibi legimus: *Chriſtus naſcetur ex Virgine Maria, & credo in eum*. Quam ergo fidem Chriſti implicitam hic obtrudere, aut conjicere poteſt P. Gravina? Eſtu quæſtionis abreptus profecto fuit Theologus noſter, qui tantam pro ſua ſententia argumenti imbecillitatem non animadvertit.

§. V.

Diluitur quartum objectum .

S. Vero Dionyſius Areopagita adducto in teſtimonio eamdem tradit doctrinam , quam nos antea perſecuti ſumus ex Doctore Angelico potiſſimum , nec intelligi umquam poteſt , qua ratione S. Dionyſii verba de Fide Chriſti implicita explicari queant . Vis enim illius teſtimonii in eo tantum ſita eſt , ut oſtendat Angelorum miniſterio revelationes nobis tranſmitti , idque potiſſimum peractum eſſe ante legem : „ dum „ illos celebres patres noſtros Angeli ad Deum „ adducebant , aut , quod agendum erat , exponentes , & ab errore , & vita profana ad rectam viam veritatis adducentes , aut manifeſtantes ſacros ordines , aut myſteriorum , quæ „ ſupra Mundum ſunt , abditas viſiones , aut divinas quaſdam prædictiones tanquam nuncii , „ & miniſtri explanantes . “ Quod quidem divina Dei beneficentia confectum eſt , aut quia innoxiam duxere vitam , aut ut oſtenderet Deus divitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ . Verum aliena nimis a S. Dionyſii mente eſt interpretatio, qua implicita fides ibi arguitur .

§. VI.

§. VI.

Diluitur quintum objectum.

ANimum adjiciamus nunc ad D. Chryſoſtomi teſtimonium explanandum, quod tametſi primo intuitu magnam pariat difficultatem quoad fidem Electorum in veteri lege, controverſiam tamen majoris ponderis a P. Gravina inſtitutam, quæ eſt de Fide implicita Chriſti in novo fœdere, plane dirimit eo ipſo in teſtimonio. Inquit enim: *Nunc vero ſatis non eſt, ſed Chriſtum noſſe oportet*, igitur de electis in novo fœdere res plane confici videtur.

Dum vero cogitationem convertimus ad ea, quæ hic obiter attingit S. Pater de Electis veteris teſtamenti, inquiſitione dignum videtur, an alibi quæſtionem hanc ex inſtituto pertractet, & eamdem ibi tradat doctrinam, quam præſeferre videntur allata verba nude, & ſolitarie accepta. Porro mentem ſuam aperit S. Doctor Hom. VIII. alias VII. in Joannem, ubi quæſtionem nobis propoſitam uberrime pertractat. Inquit enim Hom. cit. Tom. VIII. pag. 50. Edit. Venetæ ann. 1741. „ ipſum (Chriſtum) ante adventum il-
„ lum in Mundo fuiſſe, de operibus a ſe eden-
„ dis prius cogitaſſe, atque illis omnibus cogni-
„ tum fuiſſe, qui hac cognitione digni erant...
„ Neque dubitandum eſt ipſum ſuperioribus illis
„ temporibus a multis, immo etiam probis illis,
„ & admirandis viris omnibus cognitum fuiſſe.
„ Quod ſi quis dixerit, cur non omnes tunc ipſi
„ adhæſerunt, neque omnes ipſum coluerunt, ſed

„ ſoli juſti ? Sciſcitabor & ego, cur etiam nunc „ non omnes ipſum noverunt? Ecquid de Chri- „ ſto loquor? Nam patrem quoque ejus cur non „ omnes, & tunc, & hodie noverunt? Verum „ alii omnia temere ferri dicunt; alii dæmoni- „ bus Univerſi Providentiam tribuunt: ſunt et- „ iam alii, qui præter hunc Deum, alium ſibi „ comminiſcuntur: ex iis quidam adverſariam „ Deo poteſtatem eſſe blaſphemant, & leges ma- „ ligni ejus dæmonis eſſe putant. Quid igitur? „ Num dicemus ideo Deum non eſſe, quia qui- „ dam hoc dicunt? Num & ipſum malum eſſe „ confitebimur, quia quidam id impie profiten- „ tur? Appage ſtultitiam, extremamque demen- „ tiam. Nam ſi ex furentium judicio dogmata „ ſtatueremus, nihil obeſſet, quominus & ipſi „ furore graviſſimo duceremur. Certe nemo So- „ lem natura ſua oculis perniciosum eſſe dixerit, „ quia nonnulli oculis laborant; ſed lucidus di- „ citur ex eorum, qui ſanos oculos habent, ju- „ dicio: mel quoque nemo amarum dixerit, quia „ infirmis quibuſdam tale videtur eſſe; & Deum „ tamen ex infirmorum opinione, vel non eſſe, „ vel malum eſſe, vel modo providere, modo „ non providere quidam pronuntiabunt? Ecquis „ illos ſanæ mentis eſſe dicat? Quis non furio- „ ſos, & extrema dementia captos eſſe dixerit? „ *Mundus eum non cognovit*, inquies. Sed ii, „ quibus dignus non erat mundus, ipſum nove- „ runt. Cum autem memorat eos, qui ipſum „ non noverunt, carptim ignorantiæ cauſam in- „ dicat. Neque enim ſimpliciter dixit, nemo „ ipſum novit; ſed *mundus eum non cognovit*; „ ideſt ii homines, qui mundo tantum hærent,

& ea,

„ & ea , quæ mundi ſunt , ſapiunt ; Sic enim
„ ſolet Chriſtus eos appellare , ut cum dicit ,
„ *Pater Sancte* , & *Mundus te non cognovit* . "

Qua ratione igitur affirmari poteſt eos, qui Chriſtum non noverunt, juſtos appellari a S. Doctore, qui omnibus juſtis antiqui fœderis hanc aperte cognitionem tribuit, qui luculenter aſſerit, omnibus iis conceſſam eſſe, qui dignos ſe exhibuerunt, qui demum hanc iis denegat tantum, qui mundi cupiditate preſſi, & vitiis dediti eam ſibi demeruerunt ? Num S. Doctor pugnantia loqui dictitabitur ? Abſit. Dicendum ergo, mihi videtur S. Doctorem veteribus juſtis eam explicitam denegare cognitionem, quæ in novo fœdere ex auditu, & viſu comparatur, non autem quamlibet cognitionem. Certe Patriarchis, & Prophetis apertius, quam aliis, revelatus eſt unus Mediator Dei, & hominum, & tamen de iis hæc habet Hom. VIII. antea laudata p. 49. „ Mul-
„ ti Prophetæ voluerunt videre , quæ videtis ,
„ & non viderunt, & audire, quæ auditis, & non
„ audierunt . An non fuerunt ejus cognitionis
„ participes ? Fuerunt certe ; idque ex hoc lo-
„ co, unde putant quidam ipſos hac cognitione
„ privatos, demonſtrare tentabo . Multi enim ,
„ inquit voluerunt videre, quæ videtis . Itaque
„ viderunt eum ad homines venturum eſſe , &
„ ea diſpenſaturum, quæ vere diſpenſavit . Ne-
„ que enim niſi noviſſent, videre concupiſſent . Ne-
„ mo enim eorum , quorum notitiam non ha-
„ bet, deſiderio capi poteſt . Itaque cognoverunt
„ filium Dei, & venturum eum ad homines eſ-
„ ſe noverunt . Quænam ergo ſunt quæ neſcie-
„ runt , & quænam , quæ non audierunt ? Hæc,

„ quæ nunc vos videtis, & auditis, Quod ſi illi „ & vocem ejus audierunt, & viderunt eum, at „ non in carne, nec ita cum hominibus verſan- „ tem, nec tam libere cum ipſis loquentem. Hoc „ igitur & ipſe ſignificans non ſimpliciter dixit, „ cupierunt videre me; ſed quid? Quæ vos vi- „ detis, nec audire me; ſed quid? quæ vos au- „ ditis. Itaque licet ejus in carne adventum non „ viderint, futurum tamen eſſe noverunt. " Negat igitur veteribus juſtis S. Doctor eam tantum cognitionem, quæ ex viſu, & ex auditu comparatur, quæ haberi non poteſt, niſi in novo fœdere.

§. VII.

Diluitur ſextum objectum.

QUid tandem ſibi vult S. Gregorius Nazianzenus, laudibus extollens patrem ſuum adhuc in Gentilitate degentem, dum inquit: *Mores quippe ipſum nobis aſciſcebant*, & poſt pauca: *cæterum vita, & moribus ad nos propendens*, niſi quod morum honeſtate, & vitæ fulgore ita cæteris prælucebat, ut cum Chriſtianis jure poſſet comparari? Quemadmodum (inquit) a Chriſtianorum albo expungi merentur, qui vitam rationi minus conſentaneam ducunt. Hic eſt ſcopus, quem ſibi proponit in ea oratione S. Pater, ſingulas animi dotes, quibus adhuc gentilis præditus erat, percurrens, inter quas rerum temporalium amiſſionem æquo animo perpeſſam extare, atque eminere exiſtimat, inquiens: „ Utcumque ſit, uſque adeo mentis oculum ab iis „ lemis, quæ ipſi inſidebant, repurgavit, ac tan-

„ ta

„ ta celeritate ad veritatem accurrit, ut quod „ cæleſtis Patris, ac veræ hæreditatis cauſa, „ & matre, & bonis aliquantiſper carere ſuſtinue- „ rit, atque hanc ignominiam æquius, ac fa- „ cilius, quam alii ſummos honores, tulerit, „ minus ipſe mirer, licet alioqui res ea non par- „ va admiratione digna ſit. “ Tantum abeſt, ut de fide aut explicita, aut implicita hic ver- ba faciat, ut fas ſit animadvertere S. Docto- rem, ex moribus recte compoſitis arguere propen- ſionem ad nos; (inquit enim *ad nos propen- debat*) non autem aſſerere vere Chriſtianum eſ- ſe, antequam Fidem Catholicam divino af- flante numine ſuſciperet. Quod ſi antea adjecit S. Doctor: *Quod noſter erat, antequam ad no- ſtram caulam ſe contuliſſet*, id optime intelligi poteſt, quod cum rectam rationem preſſis veſti- giis ſequeretur, tamquam noſter habendus eſſet, quia divina luce colluſtrandus certe erat per do- num fidei quemadmodum cap. 7. oſtendimus ex Tridentino, & D. Auguſtino, & Thoma de iis, qui virtutes excolunt. Nec alio modo intelligi debet ea dicendi ratio, quam cum dicimus Pa- radiſum eos poſſidere, qui innoxiam ducunt vi- tam, quamvis adhuc inter nos degant. Quæ cum ita ſint, evaneſcere mihi videtur umbra quævis ſoliditatis & roboris, quæ pro Gravinæ ſententia adductis teſtimoniis ineſſe videbatur.

§. VIII.

Recenſentur aliæ difficultates P. Gravinæ, & diluuntur.

IN ſcenam tamen iterum reducit P. Gravina p. 604. quæ appoſuerat p. 573. & ſeqq. jam indic., atque ad tuendum dogma ab ipſo indi- ctum tria adhibet SS. Hieronymi, Thomæ, & Auguſtini teſtimonia, quæ hoc unum inſinuant, potuiſſe nimirum ante Mediatoris adventum nonnullos ſalutem conſequi, etiamſi nihil de lege Moyſis audiviſſent.

Verum quæſtionem non movemus, an in veteri lege neceſſaria fuerit legis cognitio per Moyſem latæ; (id enim ad inſtitutum noſtrum parum prodeſſet, ſique noſtra etiam poſtularetur ſententia, libenter huic Patrum doctrinæ ſubſcriberemus. Satis enim perſpectum nobis eſt, quemadmodum egregie probat S. Hieronymus in Iſai. c. 29. plures ante novam legem per naturalis legis obſervantiam ad ſalutis portum appuliſſe.) Verum quod a nobis in controverſiam adducitur eſt, utrum abſque ulla fide in Chriſtum illi, de quibus nunc quæſtio eſt, juſtificari, & ſalvari potuerint, quod numquam ex illis tribus teſtimoniis a P. Gravina adductis evinci poterit. Nam S. Auguſtinus eo ipſo in teſtimonio etiam Chriſti fidem pro iis, qui nihil umquam de lege Moyſis audierant, aperte adſtruit: alii duo eam non excludunt. Enimvero ex Auguſtino hæc profert verba P. Gravina. „ Eſt initium cap. XXV. „ L. X. de Civitate Dei, ubi S. Auguſtinus „ diſ-

„ differit de juſtificatione generali per fidem Chri-
„ ſti nempe: *Hujus Sacramenti fide etiam juſti aliqui mundari pie vivendo potuerunt, non ſolum antequam Lex populo Hebræo daretur: (neque enim eis prædicator Deus, vel Angelus defuerunt) ſed ipſius quoque Legis temporibus, quamvis in figuris rerum ſpiritualium habere viderentur promiſſa carnalia, propter quod vetus dicitur Teſtamentum.* Quid autem eſt hujus Sacramenti fides, niſi in Meſſiam venturum fides, quemadmodum ex hic prænotatis ab ipſo Gravina colligitur clare? S. Hieronymi vero ſcopus ad Judæos tantum dirigitur, qui elati procedebant, & tumidi, eo quod ſe ſolos Legem accepiſſe gloriabantur. Nec vero attingit quæſtionem illam, quæ in propatulo a nobis poſita eſt. Hæc enim urget P. Gravina ex Hieronymo loco antea laudato: *Audiant Judæi, qui ſe ſolos legem accepiſſe Domini glorientur, quod univerſæ primum gentes, totuſque orbis naturalem acceperint legem, & idcirco poſtea lex data ſit per Moyſem.* Ambigendum vero non eſt de Angelici Doctoris mente, qui perſpicue ſatis, & nitide traditam a nobis doctrinam perſequitur, quemadmodum *cap.* 7. demonſtravimus.

Nonnulla tandem Auctor noſter ex privatis revelationibus depromit teſtimonia pro vindicanda ſalute Trajani, Origenis, aliorumque occultorum fidelium. At quid de iis ſentiendum ſit, libenter lectores remitto ad opus Cl. Franciſci Collii de animabus paganorum Part. II. l. 2. c. 18. & l. 4. c. 9. qui ex incorrupto traditionis fonte, & ex ſanioris, temperatioriſque Critices legibus illorum lugendum exitum de-

monſtrat. At eſto, quod nonnulli ex iis, quos infideles novimus, ad cæleſtem Jeruſalem pervenerint divini adjuti gratia, *quæ rebelles etiam ad ſe fortiter, ſuaviterque pertrahit voluntates*. Numfide unius Dei Remuneratoris tantum bonum aſſecuti ſunt? Porro indicatæ revelationes, quas accurate perlegi, Dei miſerationem tantum extollunt, quæ etiam ad nonnullos infideles extenditur; nec modum attingunt, quo ad juſtificationem, & ſalutem pervenerint. Quare ex iis negativum argumentum deſumi tantum poſſe videtur, quod nullius plane ponderis eſt ex affirmativo in oppoſitum deſumpto ex iis, quæ ſacræ ſuppeditant litteræ, & quæ per Chriſtum tradita ſunt Apoſtolis, per eos autem & ſucceſſores toti Eccleſiæ. Demum in tanta Theologiæ luce, quid opus eſt argumento ex privatis revelationibus deſumpto? Infirmæ certe, & claudicantis cauſæ indicium eſt præ ſacris litteris, quarum nullum adhibet teſtimonium P. Gravina, privatas revelationes ſubrogare. Nos autem cum noſtro Theologo congreſſi ſumus, & congrediemur ipſiſſimis armis, quibus olim veri Eccleſiæ Athletæ utebantur, a quibus etiam modum luctandi accepimus; nec ullo extraneo adjutorio indiget, qui ancipiti gladio Verbi Dei, & Revelationis divinæ munitus incedit.

Hinc evaneſcere mihi plane videtur illa SS. Patrum concordia, a P. Gravina enuntiata, contendente fidem implicitam Chriſti, quæ fundatur in unius Dei Remuneratoris cultu ad ſalutem aſſequendam ſatis eſſe ſuperque. Magna quidem verborum elatione, at nimis labilibus fulcris, aut certe male appoſitis extructa erat do-

ctri-

ctrina illa, quæ labitur, & conteritur graviſſimo, atque firmiſſimo perpetuæ Traditionis pondere. Ludificatoria enim illa haberi debet SS. Patrum concordia enuntiata a P. Gravina, nec non falſum dogma illud, cujus oppoſitum ex perpetua traditione ſane, & ſicce expoſita emanare intelligitur. Dogma potius illud poſſet appellari, quod in cap. 6. & 7. demonſtratum eſt ex non interrupta SS. Patrum ſerie, quorum teſtimonia non fucate eo conſilio expoſui, ut veritas, quæ ſimplicitate gaudet, ab omnibus facile dignoſci queat. Verum eo majoris momenti eſt diſputatio, quoad novi fœderis electos, ad quos extendere non dubitat P. Gravina fidei illius implicitæ notionem; quam ſi qui Evangelica libertate inficiantur ſufficere ad ſalutem, eos inter Janſenianos referre non veretur P. Gravina. In qua quidem accuſatione libenter poſtulo ab eo qui tam facile ab ovibus lupos ſecernit, an ille dicendus ſit Janſeniſta, qui in novo fœdere explicitam mediatoris fidem poſtulat? Si ita eſt, ergo Apoſtolus, SS. Hieronymus, Auguſtinus, & Thomas, & alii Eccleſiæ Patres, & Doctores, qui tam expreſſe noſtram tradunt doctrinam, inter Janſenianos ſunt referendi? Hoc dictu nefas eſt. Si autem Janſeniani illi dicendi ſunt, qui quinque Janſenii propoſitiones defendunt, inter eas numquam inveni, quam vellet P. Gravina iis adjicere. Miror ſane, quod in cauſa tam perdita, in qua potius pro novitate veniam, vel favorem ſaltem a lectoribus ſibi conciliare deberet, tam tumide, & acriter in alienæ ſententiæ Patronos inſurgat!

CA-

CAPUT IX.

Sententia P. Gravinæ ex ſui natura ſcandali occaſionem parit.

QUæ aliquem ſoliditatis fucum facere poterant pro tuenda Gravinæ ſententia examini ſubjecimus, atque ad verum, germanumque ſenſum exigere ſtuduimus, adeo ut iis omnibus, quæ difficultatem aliquam parere poſſent., ſatisfeciſſe plane mihi videar. Nec ſolidi revera aliquid exhiberi poteſt contra quod aperte docent Sacræ litteræ, & Patres, ut ex iis, quæ incompte adduximus cap. 7. ſatis compertum eſt. Quare, ut arbitror, admirabitur quiſque, cum P. Gravina fidenter nimis in ſuo Corollario in ipſo diſputationis limine jam expoſito pro re certa, & explorata ſumere non dubitat propoſitionem ſuam inquiens, *ut videre eſt apud Ripaldam*, cujus de eadem fide implicita propoſitionem damnatam fuiſſe ab Innocentio XI. cap. 3. jam vidimus. Hoc revera ex ſui natura, non autem ſententia noſtra ſcandali occaſionem ingerit, quod Phariſaicum, & puſillorum profecto dici nequit. Nam quænam loquendi ratio ad decipiendum minus cautos inveniri poteſt, quam quæ pro re demonſtrata venditat, quod Eccleſiaſtica cenſura perculſum eſt? Et jure quidem: quis enim officium Pauli ſubire contendat I. ad Corinth. 3. 10. ſcribentis: *Ut ſapiens Architectus fundamentum poſui. Sed fundamentum aliud* (ſubdit idem Apoſtolus) *nemo poteſt ponere præter id, quod poſitum eſt, quod eſt Chri-*

ſtus

ſtus Jeſus. Ubi notat Gloſſa: *Chriſti fides, quæ per dilectionem operatur*. Hinc fundamentum aliud profecto ponit, qui fidem tantum unius Dei Remuneratoris ad ſalutem neceſſariam adſtruit, quod conſtituere non veretur P. Gravina; quemadmodum ex cap. 3. ſatis perſpicuum eſt. Per hanc autem unius Dei fidem inter beatos turmatim recenſet P. Gravina, qui ab ipſo Chriſto a Regno æterno excluduntur. Et quod res ita ſe habeat doceat nos ipſemet Chriſtus, qui a Regno excludit eos omnes, qui non intrant per oſtium, *Amen dico vobis* (inquit ipſe Joannis 10.) *qui non intrat per oſtium, ſed aſcendere nititur aliunde, ille fur eſt, & latro*. Oſtii vero nomine Chriſti Fidem intelligi debere luculentiſſimi teſtes ſunt Paulus, & Barnabas Act. 14. dicentes; *Quia aperuiſſet Dominus gentibus oſtium fidei*. Unde Chriſtus Joann. 3. de ſe ipſo inquit: *Ego ſum oſtium, ſi quis per me introierit, ſalvabitur. Neque eſt in aliquo alio ſalus* urget Petrus Act. 4. Tandem, ut alia miſſa faciam, Judæis, qui Deum tamen unum religioſe venerabantur, dixit Chriſtus Joann. 8. *Si non credideritis, quia ego ſum, in peccato veſtro moriemini*. Et tamen ſine oſtio per quaſdam neſcio quas rimas in Catholicæ Eccleſiæ Tabernaculum, & in cæleſtem Patriam turmatim pecudum more intrare compellit P. Gravina Judæos, Paganos, Mahometanos, Hæreticos, Schiſmaticos. *Re etenim ſunt Chriſtiani* (inquit ille ad calcem illius Corollarii) *ſeu Chriſtiani formales, nomine tenus Judæi, Pagani, Mahometani &c.*

Verum quis eſt, qui Catholicum ſenſum nutriat, qui hæc audiens animo non excandeſcat? Fru-

Frutra etenim contra heterodoxos oſtendere conantur Catholici Eccleſiam *viſibilem*, ſi dogma Gravinæ inducatur. Etenim hujuſcemodi Chriſtiani, Athei nempe, Mahometani, Hæretici, Schiſmatici, qui ſalvi fiunt fide implicita, & occulti Chriſtiani a Gravina dicuntur, aut ſunt in Eccleſia Dei, aut extra Eccleſiam degunt. Si in Eccleſia Dei, cur in erroribus ſuis adhuc perſeverant, & ne ſignum quidem Catholicæ Fidei exhibent? Itane ad viſibilem Eccleſiam pertinere, & ad cœleſtem Jeruſalem pertingere queunt? Certe niſi beatitudinem aliam fingat Theologus noſter, ad illam Sanctorum certe non perveniunt hujuſcemodi occulti Chriſtiani. Si autem ſunt extra Catholicam Eccleſiam, hæreticum profecto eſt aſſerere eos aliquando conſequi ſalutem. Dogma enim eſt (ut docet S. Proſper in Comment. ſup. Pſ. 147. p. 526.) neminem juſtificari, *niſi qui Eccleſiæ, quæ eſt corpus Chriſti, unitur*. Qua ratione autem corpori Eccleſiæ copulari poteſt, qui illius caput non agnoſcit, nec confitetur? Et tamen juxta novam traditam doctrinam corpori Eccleſiæ uniuntur Ethnici, Mahometani, &c. (nam re Chriſtiani ſunt) licet caput ejus, quod eſt Chriſtus, non agnoſcant. Et S. Gregorius in expoſit. Pſ. V. de pœnitentia Tom. 3. p. 511. Edit. Maur. *Sancta* (inquit) *Eccleſia corpus ejus eſt* (Chriſti)... *extra quod ſpiritus non vivificat*. Quod facile confirmari poteſt ex aliis SS. Patrum ſententiis (*a*).

De-

(*a*) Origenes in Hom. 3. ſuper Joſue Tom. I. p. 183.

Ex-

Decretoria vero ſunt verba illa quæ leguntur in Bulla Pii IV. ſuper forma Sacramenti profeſſionis

---

„ Extra hanc domum, ideſt Eccleſiam, nemo ſalvatur; nam ſi quis foras exierit, mortis ſuæ ipſe reus erit." Et S. Cyprianus in Epiſtola, quam ſcripſit Papæ Cornelio p. 238. „ Quomodo poteſt eſſe cum Chriſto, qui cum Sponſa Chriſti, atque in ejus Eccleſia non eſt. Et in Epiſt. 55. p. 249. Quiſquis ille eſt, & qualiſcumque eſt, Chriſtianus non eſt qui in Chriſti Eccleſia non eſt." Et in Epiſtola 79. „ Eccleſia una eſt, quæ una, & intus eſſe, & foris non poteſt." Et S. Ambroſius in lib. 2. de pœnitentia cap. 4. Tom. 2. p. 421. „ Non eſt ſpes remiſſionis, non ſolum pro iis, qui dividunt Eccleſiam, ſed pro iis, qui ab ea ſunt ſeparati, & extra illam degunt." Eos comparat arbori malæ, quæ non poteſt bonos fructus producere. Et Sanctus Gaudentius Epiſcopus ſerm. 8. ſupra Evangelium de nuptiis Canæ, qui extat Tom. 5. Bibliothecæ Patrum p. 955. „ Certum eſt, omnes homines, qui vivebant temporibus diluvij periiſſe, exceptis iis, qui fuerunt in Arca, quæ fuit figura Eccleſiæ. Nunc omnino ſalvi eſſe non poterunt, qui ab Apoſtolica fide, & ab Eccleſia Catholica fuerint alieni." S. Auguſtinus contra ſui temporis hæreticos eamdem pluribus in locis tradit doctrinam. In Enchiridio enim cap. 65. p. 220. Edit. Ven. an. 1731. „ In Eccleſia remittuntur ipſa peccata: extra eam quippe non remittuntur." Et in lib. 2. contra litteram Parmeniani Tom. 9. p. 29. „ Extra cujus (Eccleſiæ) unitatem quidquid operantur, quamvis magna ſolertia, & magna diligentia fieri videantur, tamen illis nihil prodeſt adverſus iram Dei." Idem docet lib. 3. de Baptiſmo T. 9. p. 116. Idem lib. 2. contra Creſconium p. 417. ejuſdem voluminis agens de Charitate:

nis Fidei quæ incipit *Injunctum*. Verba hujuſmodi ſunt. *Hanc veram Catholicam Fidem extra quam*

„ tate: „ Quæ una, inquit, ſi adſit, omnia illa recte fiunt, ſi autem deſit, illa omnia fruſtra fiunt. " Et Epiſcopi Africæ in Concilio cum Auguſtino collecti in Ep. 141., quæ extat inter eas ejuſdem Doctoris Tom. 2. pag. 458. definierunt. „ Quiſquis ab hac Eccleſia Catholica fuerit ſeparatus, quantumlibet ſe laudabiliter vivere exiſtimet, hoc ſolo ſcelere, quod a Chriſti unitate disjunctus eſt, non habebit vitam, ſed ira Dei manet ſuper eum. " Idem docet in lib. de Patientia T. 6. pag. 543. Et in Ep. ad Bonifacium p. 659. T. 2. & in Ep. 173. ad Donatum p. 614. & alibi. S. Leo Magnus ſer. 77. in die Pentecoſtes p. 162. *Extra Eccleſiam Catholicam nihil integrum, nihil caſtum*, juxta dictum Apoſtoli: *Omne, quod non eſt ex fide, peccatum eſt*. S. Proſper clarius rem exprimit in cap. 4. p. 220. Nec poſſumus dicere, quod ibi ſit gratiæ vocatio, ubi Matris Eccleſiæ adhuc nulla eſt regeneratio. " S. Fulgentius pluribus in locis hanc docuit veritatem. Nam in Libro primo de Remiſſione peccatorum cap. 18. p. 374. „ Extra Eccleſiam nullus eſt juſtus. " Idem docet cap. 19. & 20. dum comparat Eccleſiam Arcæ Noe. " Sic, inquit, extra Eccleſiam Catholicam nullus accipiet indulgentiam peccatorum. " S. Gregorius Magnus expreſſe tradit Eccleſiam Sanctam docere omnes eos, qui ſunt ab ea ſeparati, excludi a regno. Et in lib. 18. Moralium cap. 16. p. 573. idem docet, nec non lib. 35. Mor. cap. 8. Tom. I. pag. 1149. Et in expoſitione Pſ. 5. de Pœnitentia Tom. III. p. 511. Venerabilis Beda lib. 3. in Geneſim, in Theſauro autem Martene Tom. V. p. 245. obſervat nimirum Abraham, nec Altare præparaſſe,

quam nemo ſalvus eſſe poteſt, quam in præſenti ſponte profiteor &c. Niſi ergo hujuſcemodi occulti Chriſtiani, qui juxta novitatem P. Gravinæ nomine tenus Ethnici ſunt, Mahometani, Hebræi, Hæretici, Schiſmatici, ad præſumptivam Eccleſiam pertineant, quam ſomniavit M. Antonius de Dominis de Rep. Eccl. lib. 7. cap. 10. certe de gremio veræ, & viſibilis Eccleſiæ dici nullatenus queunt. At novum genus Chriſtianorum ex Ethnicis, Mahometanis, Hebræis, Hæreticis collectum, (quod idem eſt, ac præſumptivam fingere Eccleſiam, quam proinde ſententiam in opere paulo ante citato anathemate perculit Eccleſia Catholica) & Cælum Acatholicis aperire, eſt ne imaginariam, an veram, & realem ſcandali occaſionem præbere? Porro ex Gravinæ doctrina Corollarium hoc animabus perniciofum maxime facile quiſque deducere poteſt.

F Si

ſe, nec Deum invocaſſe in Chaldæa, ſed ſolum in terra Canaam, quæ ex promiſſione ei data fuit, „ ut intelligamus, " Quia nimirum nonniſi in unitate „ fidei Catholicæ, nonniſi in ſpe ſupernæ Promiſſio- „ nis perfecta opera facere, ac digna Deo vota offer- „ re valemus. „ Fidem autem Catholicam non ſolius Dei, ſed & Mediatoris fide conſtare una voce fatentur Chriſtiani. Guibertus vero Abbas tractatu „ contra Judæos c. 3. inquit: " Nullus, niſi qui ad „ eum reſpexit, ſalutem meruit. „ Et S. Thomas in Comm. ſup. Cap. 8. Ep. ad Romanos agens de „ gratia, quæ juſtificat impium: " Beneficium hoc „ (liberari per gratiam) conceditur. . . his, qui „ ſunt in Chriſto Jeſu, ideſt, qui ſunt incorpora- „ ti per fidem, & dilectionem, & Fidei Sacramen- „ tum. "

Si Ethnici, Mahometani, Hebræi, Hæretici, Schiſmatici *turmatim* ſalutem aſſequuntur ſempiternam, ergo pro Catholicis, quorum certe longe major numerus ſalvandus eſt, quam Ethnicorum &c. *Lata & ſpatioſa via eſt, quæ ducit ad vitam:* nec amplius vera eſt doctrina Chriſti: *Quam anguſta porta, & arcta via eſt, quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt, qui inveniunt eam.* At ſi ex Catholicis nonnulli non per tam anguſtam, ſed per ſpatioſam potius graderentur viam ex novitate inducta, eſſet ne id repetendum ex eorum infirmitate ſolum, aut ignorantia, unde *Scandalum Puſillorum* (S. Thomas 2. 2. q. 43. art. 7.) dicitur, aut ex eorum tantummodo malitia, ex qua Phariſaicum procedit, (S. Doctor ibidem) aut potius ex ipſa Gravinæ doctrina de ſui ratione ad talem vivendi rationem inductiva? (Idem Angelicus Doctor ibidem art. 1. ad 4.)

Verum demus ſcandalum reale minime ſequi ex hac Doctrinæ novitate, ſed illud tantummodo puſillorum, quemadmodum certe non diffitetur Gravina inquiens: *ingenue fateor ſententiam noſtram rudibus præſeferre grave offendiculum:* tenebatur tamen P. Gravina prorſus abſtinere ab hac inducenda novitate. Nam ex Jure Naturæ, ex illo nempe principio; *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*, tenemur, niſi neceſſitas urgeat, ipſa bona ſpiritualia occultare, vel differre, quæ ex infirmitate, vel ignorantia in aliquorum præjudicium cedunt; a fortiori tenemur, ſi agatur tantum de nova quadam, & ſcandaloſa inducenda doctrina. Inquit S. Thom. 2. 2. q. 43. art. 7. *Quandoque ſcandalum procedit ex infirmitate, vel ignorantia, & hujuſmodi eſt ſcanda-*

dalum puſillorum, *propter quod ſunt ſpiritualia bona vel occultanda*, *vel etiam interdum differenda*, *niſi periculum immineat*. Eo magis ſequi debemus doctrinam hanc, dum grave ſcandalum ſecuturum novimus; quemadmodum gravè certe inde rudibus ſecuturum ex nova ipſius doctrina non diffitetur P. Gravina. Porro Apoſtolus non alia Theologia imbutus, quam ea, quam ex ore Chriſti acceperat, de ſe ipſo ajebat Act. 24. 16. *In hoc*, inquit, *& ipſe ſtudeo ſine offendiculo conſcientiam habere ad Deum*, *& ad homines ſemper*. Quod ſi ſcandalum puſillorum eſſet contemnendum quemadmodum illud aſpernatur P. Gravina, fruſtra quoque docuiſſet Apoſtolus I. Cor. 8. 10. *Si quis viderit eum*, *qui habet ſcientiam*, *in Idolio recumbentem*: *nonne conſcientia ejus cum ſit infirma*, *ædificabitur ad manducandum idolothyta*? *Et peribit infirmus in tua ſcientia frater*, *propter quem Chriſtus mortuus eſt*? *Sic autem peccantes in fratres*, *& percutientes conſcientiam eorum infirmam*, *in Chriſtum peccatis*. *Quapropter ſi eſca ſcandalizat fratrem meum*, *non manducabo carnem in æternum*, *ne fratrem meum ſcandalizem*.

Nec deſinit P. Gravina ſcandali menſuram implere, dum inquirit: *Quomodo plures ex iſtiuſmodi filiis occultis ſortiri poſſit Eccleſia*? *Cum Eccleſiaſtico* reſpondet; *Altiora te*, *ne quæſieris*, *& fortiora te ne ſcrutatus fueris* . . . . . *Dum hæc dico*, *myſterium vobis dico probabile quam maxime ex ſuperioribus*, *ſed obſcurum*. Contentus non eſt P. Gravina novam inducere ſententiam ſcandalorum plenam, ſed eam ulterius myſterium eſſe pronunciat? Atque ut myrati calicis amaritudinem compleat, turpiter abutitur etiam Apoſto-

li verbis, quibus permiſcere non erubeſcit novam ab ipſo inductam Doctrinam, tamquam ſi a Paulo eſſet enuntiata. Miror ſane hic tantum humilem comparere P. Gravinam! Utinam ſincera eſſet hæc animi demiſſio, quæ eum a nova tradenda doctrina retinuiſſet: at quoniam ea callide ſimulatur, ut nempe puſillos myſterii nomine perterritos facilius in ſuam ſententiam perducat, hinc nonniſi in ſui, & aliorum, qui falſos audiunt Prophetas, perniciem converti poteſt novi hujuſce myſterii humilis profeſſio. Nec ſilentio prætereundum eſſe videtur ejuſdem ordinis malum judicari a Theologis adjicere myſteriis Fidei, quod de fide non eſt, ac negare, quæ ut myſteria ab Eccleſia fidelibus credenda proponuntur; quo autem majoris ponderis malum eſſe dignoſcitur, dum & myſterium, & dogma illud enuntiatur, quod Verbum Dei, & perpetua traditio damnant, & deteſtantur. Salubrius porro illi fuiſſet hanc ingenii tenuitatem fateri, dum agit ipſe obiter de œconomia gratiæ divinæ, quàm ſupra Apoſtolum, & D. Auguſtinum (a) ſe

(a) S. Auguſtinus de peccatorum meritis l. 2. c. 5. *Cur autem illum adjuvet, illum non adjuvet; illum tantum, illum autem non tantum; iſtum illo, illum iſto modo, penes ipſum eſt & æquitatis tam ſecretæ ratio, & excellentia poteſtatis.* Et in lib. de Spiritu, & littera ad Marcellinum: *Si ad illam*, inquit, *profunditatem ſcrutandam quiſquam nos coarctet, cur illi ita ſuadeatur, ut perſuadeatur, illi autem non ita, duo ſolum occurrunt interim, quæ reſpondere mihi placet. O Altitudo divitiarum! Et num-*

ſe erigendo, ea explicare, quæ nec ſummis ingeniis, nec exquiſita doctrina, & ſanctitate fulgentibus umquam aſſequi mente conceſſum eſt.

Novit plane Theologus noſter ſolidis fundamentis ſe prorſus deſtitui. Hinc nonniſi ſe ad ſuppoſititia convertere poteſt, inter quæ unicum tantummodo adinvenire potuit, quod S. Jo. Damaſceni eſſe a Gravina fertur. Inquit enim eodem Corollario p. *690*. „ Propterea mutuabor
„ verba auctoris Orationis: *Quod ii, qui cum*
„ *fide ex hac vita exceſſerunt, vivorum Miſſis,*
„ *& Sacrificiis juvantur*: quæ oratio legitur in-
„ ter Damaſceni opera. In hac igitur Oratio-
„ ne, exquiſitiſſime divina miſericordia celebra-
„ ta, & fide implicita, cujus ope fidelibus (ut
„ diximus) occultis cælorum portæ patefiant;
„ ad occupandum præfatum Phariſaicorum, Ru-
„ diumque Puſillorum ſcandalum, ſic difficulta-
„ tem antevertit....

„ Et quoniam maxime lucroſa eſt ſententiæ no-

 ſtræ

---

numquid iniquitas apud Deum? Cui reſponſio iſta diſplicet, quærat doctiores, ſed caveat, ne inveniat præſumptores. Et quæſt. 2. lib. V. ad Simplicianum. *Sunt igitur omnes homines .... una quædam maſſa peccati, ſupplicium debens Divinæ, ſummæque Juſtitiæ, quod ſive exigatur, ſive donetur, nulla eſt iniquitas: a quibus autem exigendum & quibus donandum ſit, ſuperbe judicant debitores*. Similia tradit & lib. I. quæſt. 2., & de corrept. & Gratia cap. 10., & 11. & de Gratia, & lib. arb. & alibi.

„ ſtræ oratio præfata, adverto Utique eam ab-
„ judicari a Criticis S. Damaſceno : tamen ea
„ magno in pretio eſt, vel apud Latinos, vel
„ apud Græcos. Teſtor Ven. Bellarminum, &
„ celebrem Editorem operum S. Damaſceni R.
„ P. Michaelem Laquien ex inclyto ordine Præ-
„ dicatorum : Jam vero Bellarminus licet ajat
„ Orationem hanc ipſi injicere ſcrupulum, ne
„ eam S. Damaſceno adjudicet: ipſe tamen, in-
„ vito hoc ſcrupulo, evulgans Tomum primum
„ ſuarum Controverſiarum, in Controverſia de
„ Purgatorio utitur teſtimonio hujus ejuſdem
„ Orationis, cujus auctorem annumerat Patri-
„ bus Græcis. Laquien autem, licet in admo-
„ nitione de hac Oratione multis de cauſis eam
„ abjudicet S. Damaſceno; teſtatur tamen gra-
„ vi auctoritate nixus Orationem hanc recita-
„ ri quotannis in Eccleſiis a Græcis Catholicis
„ Sabbato carnis privii, quo commemorationem
„ faciunt defunctorum. “

Et primo quidem, ſi Theologus noſter Critices legibus parum eſſet excultus, inquiſiiſſet profecto, an hujuſmodi Oratio Damaſceni ſtylum, ingeniumque redoleat; de quo tamen minime ſollicitus fuit, veritus, ne ex ſtyli, dictionisque diſſonantia, quam certe deprehendiſſet, eam S. Damaſceno abjudicare cogeretur. Eorum itaque ſententias inquiramus, qui hanc Orationem accurate perlegerunt, atque cum aliis S. Damaſceni operibus contulerunt, Celeberrimus Leo Allatius diſſert. 2. de libris Eccleſiaſticis Græcorum eam S. Damaſceni minime eſſe aperte pronunciat, eo quod nul-

nullibi illics loquelam agnoſcit, nec non propter jambos, qui a vena, & ingenio Damaſceni ſunt nimis alieni; idemque confirmavit in diatriba de Jo. Damaſceno, & ejus operibus.

Eamdem ſecutus eſt ſententiam Combefiſius Tom. 2. Bibl. PP. Græc. annotatione poſtrema in orationem hiſtoricam de reſtitutione imaginum, ubi inquit: *Quamquam Damaſcenus antiquior eſt, cujus nomine libri Græcorum Eccleſiaſtici eam Orationem inſcriptam habent, ſtylus tamen reliquis Damaſceni, vel dogmaticis, vel* ἑορταστικοῖς *(Feſtalibus) collatus haud leviter alterius ſuadeat. Videas certe rhythmice magis, quam oratorie; aliter quam pro* χρυταίρα *illius puritate dicentem. Nihil autem mirum, ut ita Græcis imponi potuerit nomine Damaſceni, quando & nobis impoſitum fuerit in ſermone Aſſumptionis S. Mariæ nomine Hieronymi &c.* Et quamvis mentem ſuam mutaverit Combefiſius in Bibliotheca PP. Concionatoria, rem tamen diligentius examini ſubjecit eruditiſſimus P. Michael Lequien *in admonitione* in hanc Orationem, & perpenſis utriuſque partis momentis Leonis ſententia illi plane arridet, atque in ſingulari, prolixaque Diſſertatione *de precibus fundendis pro defunctis ſecundum doctrinam Eccleſiæ Orientis* ſolidiſſimis rationibus, potiſſimum autem ex ſtyli diſcrepantia hanc ex inſtituto propugnat ſententiam. Quod ſi refert hanc Orationem quotannis recitari a Græcis *Sabbato Carnis Privii*, id tamen non aſſerit *gravi auctoritate nixus*, quæ verba proprio marte adjecit P. Gravina; ſed id nude, & ſimpliciter

refert. Nec mirari debemus Orationem hujuſmodi S. Damaſceni nomine circumferri; cum enim mentio ibi fiat ſalvatorum ab inferis Trajani, & Falconillæ, quæ fabellæ magno præſidio fuerunt Græcis, ut proinde liberatum Theophilum Imperatorem fingerent; hinc ut fucum facerent, Orationem hanc S. Damaſceni nomine inſcriptam dederunt; atque ex diſcrepantia utriuſque Codicis Colbertini, nempe num. 7. & 2443. in hujus Orationis titulo, referendo hujuſmodi verſutia facile dignoſci poteſt. Quod autem quotannis recitetur a Græcis, idem habet auctoritatis pondus, ac Marcellini lapſus, & habitum de hac re Sinueſſanum Concilium.

Ad Bellarminum vero quod attinet, quamvis illius vergat animus, ut eam orationem S. Damaſceno abjudicet propter ſeniles fabellas, quas in ea agnoſcit, ſubnectit tamen: „ Sed fieri poteſt, ut S. Jo. Damaſcenus, quamvis alioqui doctus, & prudens iſtis narrationibus facile fidem habuerit, neque de veritate earum inveſtiganda ſollicitus fuerit. “ At pugnantia ſe loqui non videt? Doctum, & prudentem agnoſcit Damaſcenum, ſimulque inertem, ut ſine examine facta recognoverit, Sacris litteris pugnantia, & perpetuæ Traditioni. Tali ſe gerendi ratione poteſt ne quis prudens appellari? Et tamen huic loquendi modo prudenter acquieſcit P. Gravina?

Quæ cum ita ſint, intelligit quiſque Theologum noſtrum in nova tradenda doctrina eſſe quovis præſidio deſtitutum. Hinc abigantur

va-

vaniloquia falſitatis, & veritas iterum auribus Chriſtianis intonet, quæ ſermonem conficiat. Qui Chriſtum neſcit, veritatem neſcit, viam neſcit, unde poſſit pervenire ad vitam. *Ego ſum*, inquit Chriſtus, *vià, veritas, & vita*, & alibi: *Nemo poteſt venire ad Patrem, niſi per me*.

PARS

Digitized by Google

PARS ALTERA

CAPUT PRIMUM.

Quid ſentiendum ſit de Electorum numero.

QUoniam extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt, maximam hominum partem extra Eccleſiam degere, & ex iis, quæ hucuſque diſſeruimus, confici videtur, neminem poſſe ad cæleſtem Jeruſalem pertingere, niſi in Eccleſiæ gremio, & unitate ex hac vita migraverit, hinc riſu plane excipienda videtur ſententia, quæ eſt de majori electorum numero, univerſa hominum ſpectata natura. Enimvero ex fæcundo Acatholicorum germine tam pauci ſunt, qui ad unam Catholicam Eccleſiam pertineant, aut quia ſupernaturale fidei lumen aſpernantur, aut quia per naturalis legis violationem ſuperno, & uberiori Dei auxilio indignos ſe exhibent, ut, ſi conferantur cum iis pene innumeris, qui in cæcitate obdurati decedunt, ne recenſendi quidem videantur. Nihilominus P. Gravina novitatis amatorem continuo ſe prodens, paucis expoſita utrobique ſententia, utpote qui Ethnicos, Mahometanos, Hebræos, Schiſmaticos ſalutem aſſequi ſempiternam docet, ſolis conjecturis contentus aſſerere non dubitat, ex univerſo hominum genere plures electos eſſe, quam reprobos. Ita enim exorditur pag. 521.

„ Duo

„ Duo tempeſtive monenda ſunt ; primum eſt, „ ex reproborum grege ſegregandos parvulos mo- „ rientes ſine remedio originariæ culpæ. Hi ter- „ tiam quodammodo conflant hominum claſſem „ Reprobos inter, & Electos; hinc in generali „ hominum judicatione neque vocantur *Benedicti* „ *ad Regnum*, neque ire jubentur *maledicti in* „ *ignem æternum* . . . . Alterum quod moneo, „ eſt, qui Electos docent numeroſiores fore quàm „ reprobos ex omnibus hominibus, multo magis „ id docent de baptizatis, de Catholicis multo „ magis. Contra vero qui contendunt ex adul- „ tis Catholicis multo plures perire, quam ſal- „ vos eſſe, multo magis id contendunt de baptiza- „ tis, de omnibus hominibus multo magis. Nos „ primæ illi opinioni adhærebimus, ſecundæ huic „ adverſabimur, „ Et p. 522. “ Adde, quod quæ- „ ſtionem hanc de numero Electorum, vel Re- „ proborum ex univerſo hominum genere vix, „ aut ne vix quidem diſcuſſam, ut par eſt, in- „ venio ; ſed veluti pro certo habitam ſenten- „ tiam faventem majori numero reproborum. “ Et pag. 523. „ Abſolute nova, & temeraria, „ multo minus hæretica ea opinio non eſt. “ Hactenus ejuſmodi Scriptor.

Et primo quidem de parvulis ex hac vita migrantibus abſque eo quod fuerint ſacris undis abluti, non temere dijudicaſſem ad eos minime pertinere definitivam Domini ſententiam: *ite in ignem æternum*; ſed ſtatuiſſem potius, quod certum exploratumque eſt, cunctiſque SS. Patrum ſuffragiis firmatum, nimirum infantes originali peccato obſtrictos *eſſe in damnatione omnium mitiſſima*, utpote dubio procul beatifica Dei viſione ſunt deſtituti, quod qui-

dem

dem damnatos magis cruciat. Quapropter a damnatorum cenſu eos non expunxiſſem, ne ſuſpicandi locus tribueretur, nos vel tertium quemdam fingere locum, aut beatitudinem quamdam naturalem, qui error eſt Pelagianorum. Utrum autem ad eos pervadat ignis cruciatus, quamvis ad negativam ſententiam meus vergat animus, non quidem ut putarem pueros eos in inferis *aut ludere par impar, aut æquitare in arundine longa*, quemadmodum ſchomma fuit facetiſſimum Principis hujus ævi Theologi P. Hyacinthi Serry (teſte Cl. Brunatio, qui ex ore Magiſtri ſui exceperat) definire tamen auſus non eſſem, quoniam S. Auguſtinus luculentiſſime pluribus in locis affirmativam tuetur ſententiam. Sic ſerm. 4. de verbis Apoſtoli cap. 3. „ Venturus eſt Dominus, „ (inquit) & judicaturus de vivis, & mortuis, „ ſicut Evangelium loquitur; duas partes facturus eſt, dexteram, & ſiniſtram. Siniſtris dicturus eſt. Ite in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo, & Angelis ejus. Dextris dicturus eſt. Venite Benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum eſt ab origine mundi: Hanc Regnum nominat: hanc cum diabolo damnationem. Nullus eſt relictus medius locus, ubi ponere queas infantes - - - qui non in dextra, procul dubio in ſiniſtra; ergo qui non in regnum, procul dubio in ignem æternum. „ Et ibidem poſtquam explicuit ſententiam domini: *Ite in ignem æternum*, inquit: " Ecce expoſuit tibi, quid ſit Regnum, „ quid ignis æternus, ut quando confiteris parvulum non futurum in Regnum, fatearis futurum „ in ignem æternum. "

Et

Et Ep. 28. ad Hieronymum num 166. „ Cer-
„ tus ſum, ait, quæcumque anima ſine gratia
„ Mediatoris, & Sacramento ejus in qualibet
„ corporis ætate de corpore exierit, & in pœna
„ futuram, & in ultimo judicio corpus receptu-
„ ram ad pœnam. “

Et lib. 1. contra Julianum c. 12. perſpicue pronunciat, parvulos non renatos *ignibus æternis arſuros*. Et lib. 3. operis imperfecti num. 199. ita Julianum perſtringit: „ Si non eruitur a po-
„ teſtate tenebrarum, & illic remanet parvulus,
„ quid miraris in igne æterno cum diabolo fu-
„ turum, qui in Dei regnum intrare non ſinitur? “
Ex quibus tam nitidis S. Auguſtini teſtimoniis ferenda non eſſe videtur nonnullorum impudentia, qui in oppoſitæ ſententiæ præſidium tanti doctoris auctoritatem proferre non erubeſcunt. Hi enim Auguſtinianam doctrinam penitus non tenere certe dicendi ſunt.

Verum quidquid ſit de pœnarum indole, & natura, quibus afficiuntur infantes, nec non de eorum numero, qui ad baptiſmi gratiam non pervenientes vita decedunt (parum enim ad inſtitutum noſtrum id confert) ad dirimendam majoris momenti quæſtionem, ſtudium omne, operamque conferamus. Et quoniam conqueritur P Gravina a nemine fuiſſe ex Inſtituto pertractatam quæſtionem *de numero Electorum, vel Reproborum, ex univerſo hominum genere*, hinc, ut ei morem geram, operæ pretium exiſtimo perpetuam exhibere traditionem, quæ eſt de majori reproborum, quam electorum numero inter ipſos adultos Catholicos: Ex quo conſequitur eo magis id verum eſſe, ſi univerſa hominum adultorum ſpectetur natura. *Nec omni-*

no

no quiſquam patrum invenitur, qui diverſum ſcripſerit, graviſſimo Theologo Eſtio adnotante in lib. 1. ſententiarum diſt. 40. Ex quo intelligitur doctrinam Eccleſiæ habendam eſſe, cum SS. Patres doctrinam hanc unanimiter tradant. Hinc temeritate arguendus videtur P. Gravina, qui ſententiam hanc non tantum in controverſiam adducit, ſed contrariam etiam tuetur futilibus tantum ductus conjecturis. At in re Theologica non conjecturis opus eſt, ſed ſeniorum, ideſt SS. Patrum doctrinam accurate inquirenda eſt. Eccleſiaſtic. enim cap. 8. v. 11. *Non te prætereat*, inquit, *narratio ſeniorum, ipſi enim didicerunt a patribus ſuis, quoniam ab ipſis diſces intellectum*. Quapropter ratio P. Gravinæ, qua ideo ex profeſſo diſcuſſa non eſt quæſtio de numero electorum, vel reproborum, quia certiſſima habita eſt ſententia favens majori reproborum numero, cenſoria virgula notanda videtur; quia idipſum ab inducenda contraria doctrina eum deterrere debebat. Satis enim tritum Theologis eſt Canon ille S. Auguſtini, qui extat lib. 4. contra Donatiſtas cap. 27. *Quod univerſa tenet Eccleſia, nec a Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, nonniſi auctoritate apoſtolica traditum rectiſſime creditur*. Quod autem in Eccleſia Dei ſemper retenta ſit ſententia de majori reproborum numero, ex non interrupta SS. Patrum doctrina ſatis conſtabit. Ex qua quidem SS. Patrum catena deprehendemus tres illius Canonis admirabiles characteres, nimirum *antiquitatem*, *univerſitatem*, & *conſenſionem*. Quo quidem ineluctabili argumento, ex antiquitatis nempe conſenſione deprompto ſæpe utitur S. Auguſtinus: Potiſſimum

autem

autem l. 1. contra Julianum cap. 3. num. 4., tum lib. 4. operis imperfecti num. 112., ubi adverſus eum ita perorat: *Plane hoc onere* (Patrum ſcilicet teſtimoniis) *ita premeris, ut non ſolum opprimaris, verum etiam conteraris, & fias pulvis . . . . Neque enim illi tot, ac tanti, & tam ſancti, clarique Antiſtites Dei de peccato primi hominis, eique obnoxia ſucceſſione mortalium ita loquuti ſunt, ut alii ab aliis diſcreparent, aut eorum quiſque a ſemetipſo: ſed ita prorſus, ut eorum conſenſione, atque conſtantia, nec aliter eſſe de hac re Sanctam Scripturam intelligendam, nec aliam putandam Catholicam fidem,. quiſquis eos non haeretico animo legit, dubitare non poſſit*. Ex quo intelligitur, quam ſolido nitantur fundamento non ſolum, ut refert P. Gravina, Alarcon, Montepiloſus, Aravius apud de Henao lib. VI. exerc. XXI. Sect. XIX. num 142., ſed (addam ego) & D. Thomas 1. part. quæſt. 23. art. 7. ad 3., & alibi, Cajetanus in Parab. de Virginibus, Carthuſianus, Lyranus apud Montojam, Fogginius de paucitate ſalvandorum, Maldonatus in cap. 22. Matthæi, Molina I. Part. quæſt. 23. art. 7. Cornelius a Lapide in cap. 1. Ep. Jacobi, Michael Elizalde, aliique ejuſdem tuæ Societatis, qui docent ſententiam faventem majori numero reproborum *communem eſſe, & Fide divina certam*, & ut ait P. Ruiz Soc. Jeſ. *ut minimum certiſſimam eſſe*.

His tamen non obſtantibus, inquit P. Gravina p. cit. 522. „ Tot tantæque cenſuræ non eæ „ mihi ſunt, ut ab ea prima opinione amplectenda deterreant. Animum contra tot, tantoſque terrores ſufficiunt, quas deinceps pro-

„ ſe-

„ feram, conjecturæ. “ Et pag. 524. „ Præju„ dicata eſt contraria noſtræ opinio. “ Equidem cum Cicerone contendo: *Non tam auctores in diſputando, quam rationis momenta quærenda eſſe*.

Cave, ne tantus animus in tui ruinam cedat. Parum eſſet tam facile ab antiquitatis conſenſu recedere, niſi etiam parvipenderes auctoritatem doctiſſimorum Theologorum inſignis tuæ Societatis? Cave, inquam, ne a confratribus tuis in judicium voceris, & animi, quem jactas, pœnas tandem luas. At aliam primo ejuſdem Ciceronis ſententiam audiamus: „ Quid enim (in„ quit de nat.- Deor. ad M. Brutum l. 1.) tam „ temerarium aut tam indignum ſapientis gra„ vitate, quam aut falſum ſentire, aut quod non„ dum ſatis exploratum eſt, ſine ulla dubitatio„ ne defendere? “ Qua ratione autem ſatis exploratum dici poteſt, quod ſolis conjecturis, & iis quidem futilibus excitatur? Ille auctoritati rationem anteponit; hæc ratio tamen, quæ noſtris hiſce temporibus plus æquo non ſine magna fidei jactura extollitur, a P. Gravina ſolis conjecturis completur. Non animadvertit præterea P. Gravina, ſe nunc Theologi, non vero Philoſophi munere fungi. Si hoc animadverteret, ſtatim etiam menti occurreret, *rationem*, quæ in philoſophicis diſciplinis pertractandis primum ſubſellium jure ſibi vindicat, in Theologicis nonniſi poſtremum ſibi contingere. Quare hic non tam extollenda erat ratio, quàm auctoritas accuratè inquirenda. Et quidem a' patribus accepimus, auctoritatem tam magni faciendam eſſe in controverſia aliqua Theologica dirimenda, ut ſi ab antiquitate longo ſæculorum decurſu unanimiter firma-

mata ſit ſententia, quæ in controverſiam adducitur, non ſine temeritatis nota, aut hæreſis periculo ſaltem negari queat. Ulterius progreditur Melchior Canus lib. 12. cap. 3. præcepto 7. inquiens, *Si vel Eccleſia, vel Concilium, vel Sedes Apoſtolica, vel etiam ſancti una mente, eademque voce aliquam Theologiæ concluſionem & confecerint, & fidelibus etiam præſcripſerint; hæc veritas Catholica ita cenſebitur, ut ſi eſſet per ſe a Chriſto revelata, & ille, qui adverſatur, æque erit hæreticus, ac ſi ſacris litteris, Traditionibuſque Apoſtolorum refragetur*. A qua tamen inurenda nota adverſario nunc alienus ſum, utpote contendam cum Lirinenſi Commonit. num. 4. *abſque ulla dubitatione credendum, quidquid non unus, aut duo tantum, ſed omnes pariter uno, eodemque conſenſu aperte, frequenter, perſeveranter tenuerunt, ſcripſerunt, docuerunt*. Supereſt ergo (concludam cum Tertulliano lib. de præſcript. hæret.) ut demonſtremus, an *hæc noſtra doctrina* (dicam ego de majori numero reproborum inter ipſos adultos Catholicos), *cujus regulam ſupra edidimus, de Apoſtolorum traditione cenſeatur, & ex hoc ipſo, an cateræ de mendacio veniant*.

PROPOSITIO.

Traditio a temporibus Apoſtolorum uſque deducta perpetuo docuit majorem habendum eſſe Reproborum, quam Electorum numerum inter ipſos adultos Catholicos.

CAPUT I.

Demonſtratur Propoſitio ex ſacris litteris, ſimulque diluuntur falſæ, & erroneæ interpretationes P. Gravinæ.

SI Sapientiam hujus Sæculi vivis coloribus depictam a D. Gregorio lib. 10. Moral. c. 16. in cap. 12. Job animo repetamus, falſis Prophetis eam apprime convenire intelligemus, qui cunctas cogitationes ſuas intendentes in multitudine ſibi concilianda, ſuavia continuo, & placentia nunciant, quæ ad animos ſibi conciliandos maxime conferunt. Quod ſi aliquod duriuſculum, & triſte, quamvis verum comperiatur in ſacris litteris, ab eo maxime abhorrent, nec umquam ex eorum ore excidit: ſique de eo ſententiam dicere aggrediuntur, ex deſiderio quod falſum ſit, verborum ambagibus ita mulcere ſtudent, ut falſum tandem illud demonſtrare conentur. At hallucinantur quem maxime, nam teſte D. Auguſtino: *Nemo optando facit, ut verum ſit, quod verum non eſt.*

Jam vero aſpera nimis, & auribus ad dulcia aſſuetis minime accomodata videtur ſententia de majori reproborum numero. Experiamur ſaltem, an Chtiſtus, qui tamen eſt *ipſa dulcedo Sanctorum*, & *ſuavitas Angelorum*, quia terribilis videtur ſententia, ideo ab ea tradenda abſtinuerit. Tantum abeſt, ut Lucæ 13. v. 24. urgeat: *Contendite intrare per anguſtam portam; quia multi dico vobis, quærent intrare, & non poterunt.* Alias Chriſti ſententias inferius exhibebo. Nunc perſequamur, quæ vetus Teſtamentum nobis ſuppeditat,

tat, idque in gratiam adverſarii noſtri, ut ſolida teſtimonia ab inanibus conjecturis, quibus ea labefactare ſtudet, eodem, quo ipſe utitur, ordine, ſolide vindicemus. Geneſ. itaque VI. v. 11. 12. legimus: „ Videns Deus, quod . . . . cuncta cogitatio cordis intenta ad malum eſſet omni tempore &c. . . . . Corrupta eſt autem Terra coram Domino, & repleta eſt iniquitate . . . . omnis quippe caro corruperat viam ſuam. " Et Oſee IV. 1. 2. „ Judicium Domini cum habitatoribus Terræ; non eſt enim veritas, & non eſt miſericordia, & non eſt ſcientia Dei in terra. Maledictum, & Mendacium, & Homicidum, & Furtum, & Adulterium inundaverunt, & ſanguis ſanguinem tetigit. " Et Pſalm. XIII. 2. 3. „ Dominus de cælo proſpexit ſuper filios hominum, ut videat ſi eſt intelligens, aut requirens Dominum. Omnes declinaverunt, ſimul inutiles facti ſunt: non eſt qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum. "

Quibus autem conjecturis occurrat P. Gravina hiſce tam perſpicuis Domini ſententiis, audiamus. (Vereor, ne Lectoribus bilem moveant.)

Inquit ergo p. 644. „ Illis in teſtimoniis inculcatur moralis impoſſibilitas aſſequendi Paradiſi . . . . . ad præfatam itaque impoſſibilitatem moralem quod attinet, faciunt ad rem, & quod Tullius docet, & quod S. Antoninus Archiepiſcopus Florentinus. (*a*)

(*a*) Tullius de Part. Orat. ubi de gen. De lib. *Cum quæ-*

Et primo quidem dicam tibi cum Auguſtino: *Quid te adjuvat iſta ſententia?* Moraliter impoſſibilia dicuntur ea, quæ perdifficilia ſunt (eruitur hoc ex Tullii verbis) & quæ vix ſunt poſſibilia, utpote nimiam habent difficultatem ex S. Antonini teſtimonio. At ſi ad Logicæ regulas exigamus Tullii, & S. Antonini verba, hæc imo contra Gravinam faciunt. Nam niſi peragant homines, quæ difficillima, & moraliter impoſſibilia dicuntur, ſalutem non aſſequuntur. At paucorum certe eſt ea peragere, quæ difficillima, & moraliter impoſſibilia dicuntur; ergo paucorum quoque eſt ſalutem aſſequi. At, inquis, *ad complenda, quæ vix poſſibilia ſunt, peculiaria, & exquiſita auxilia a Deo prudentiſſime præſtolari debent Chriſtiani. Hoc enim non eſt omnino miraculoſum, ſed pertinens ad ſupernaturalem Providentiam.*

Verum quæſtio recidit in idem, an revera plures ſint ex adultis Catholicis, *qui ſpiritus fervore concepto, & in fide inveniantur ſtabiles, & in opere efficaces*. Porro allata teſtimonia rem plane definiunt pro infimo eorum numero, nec unam ex-

quæritur ait, *quid fieri poſſit? Videndum etiam eſt, quam facile poſſit; nam quæ perdifficilia ſunt, perinde habenda ſæpe ſunt, ac ſi effici non poſſint.* S. Antoninus autem in ſumma P. I. T. III. §. X. Reg. VII. Doct. II. *Non ſolum dicitur impoſſibile*, ait, *quod abſolute non eſt poſſibile, ſed etiam videtur interpretandum ſecundum virtutem Epicheja in lege nova, eſſe impoſſibile quod vix eſt poſſibile, ut puta nimiam habens difficultatem: alias quomodo ſalvetur illud: Onus meum leve?*

exhibet Theologus noſter conjecturam, quæ allatorum textuum vim ſurripere videatur; ulterius quaſnam poſſit adinvenire, plane non video. Progrediamur igitur, omnium oculis ſubjicientes eos characteres, quos poſtulat Dominus ab iis, qui electi ſunt æternæ hæreditati, atque intueamur, utrum plures, an pauciores ex adultis Catholicis tam conſpicuis notis ſint inſigniti.

Porro Matthæi 19. legimus: *Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me*. Et alibi: *Qui non tollit crucem ſuam, & venit poſt me, non eſt me dignus*. Quam quidem Chriſti Domini ſententiam non ad ſolitarios tantum, ſed ad omnes plane Chriſtianæ militiæ addictos eſſe referendam nemo ambiget. At plurimi eſſe non videntur, qui propriæ voluntati renuncient, qui carnem ſuam crucifigant cum *vitiis & concupiſcentiis*, *qui cuncta minantia*, *cuncta cruciantia* æquanimiter patiantur. Item Matthæi 11. *Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*. Qui hanc vim ſibi inferant, paucos comperimus; utpote ſi qui, & ii quidem non pauci, pietatis corticem adamare videntur, paſſiones tamen, ut par eſt, non moderantur. Sic, ut exemplo utar, ſi Eccleſias frequentare ſtudent, & ſacræ ſynaxi adſunt, inſatiabilem tamen illam auri ſitim numquam extinguunt, & tamen ut legimus Matthæi 19. *Facilius eſt Camelum per foramen acus tranſire, quam divitem intrare in regnum cælorum*. Quæ autem difficillima prædicantur in ſacris litteris, raro contingere cenſendum eſt; quod maxime de divitibus ipſa experientia duce comprobatur, qui pauci admodum a divitiarum affectu

cor ſuum avellunt: Hinc S. Hieronymus in hunc locum inquit: *Ubi difficile ponitur, non impoſſibilitas prætenditur, ſed raritas demonſtratur.* Et in exhortatione ad ſuos de divitibus & potentibus inquit: *Si Chriſtus verax eſt, hujuſmodi hominum vix unus aptus regno Dei invenitur de mille.* Quæ quidem Domini ſententia non ad eos tantum divites pervadit, qui cum opibus abundent, ut plurimum in eas amore feruntur, ſed ad eos quoque, qui quamvis mediocriter teneant, vel plane careant, deſiderio tamen, & affectu ad eas maxime anhelant. Non ab alio hanc explicationem accepimus, quam a D. Auguſtino in ſacris textibus exponendis verſatiſſimo, qui prælaudata Matthæi verba ſic interpretatur quæſt. Evang. lib. quæſt. 26. *Quod ait Dominus divitem non intrare in regnum, & diſcipuli dicunt, quis poteſt ſalvus fieri, cum pauci ſint divites in comparatione multitudinis pauperum, ita intelligendum eſt, quod omnes, qui talia cupiunt, in eorum numero haberi animadverterunt.*

Eadem ratione arguendi procedere debemus, dum conſimilia teſtimonia comperimus in ſacris litteris, veluti illud Matth. 6. *Nemo poteſt duobus Dominis ſervire . . . . non poteſtis Deo ſervire, & Mammonæ.* An pauciores dicendi ſunt, qui vitæ commodis, qui honoribus ad vanitatem fovendam maxime allicientibus, qui deliciis, qui voluptatibus inſerviunt? Ex Beatitudinum præterea doctrina idem ſermo habendus eſt, ex qua quidem, quemadmodum ex parabola operariorum, eamdem Dominum intuliſſe ſententiam: *Multi ſunt vocati, pauci vero electi*, optime animadvertit Cl. Maldonatus.

Ve-

Verum quid opus eſt pluribus, cum magis recepta vivendi ratio omnium oculos ſubeat, quæ palmare veluti pro re noſtra argumentum ſuppeditat.

Ad definitivas potius Chriſti Domini ſeatentias mentem, cogitationemque convertamus. Matthæi enim 7. v. 13. 14. legimus. *Intrate per anguſtam portam, quia lata porta, & ſpatioſa via eſt, (a) quæ ducit ad perditionem, & multi ſunt, qui intrant per eam. Quam anguſta porta, & arcta via eſt, quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt qui inveniunt eam.* Fidei myſteria, quæ diſtinguunt Catholicos ab Hæreticis & Infidelibus, viam arctam certe non conſtituunt; at dimittere injurias illatas, ſectari juſtitiam, humilitatem, caſtitatem, & cætera omnia præſtare, quæ lex præcipit hæc eſt via arcta, per quam ambulare refugiunt Catholici. Quare de his tantum prælaudata verba ſunt intelligenda, non de Hæreticis, & Infidelibus, qui extra viam ſunt. Si enim arcta via Catholicos, lata vero Infideles deſignaret, ſequeretur Catholicos omnes ſalvari; quod ineptire eſſet.

(a) P. Calinus lect. 21. in lib. Regum explicans ea verba: *Quam anguſta porta, & arcta via eſt*, inquit, „ nempe Chriſtus locutus eſt de ſuis temporibus, non autem de futuris temporibus, in quibus plurimi ſalvandi erant. " Verum num alterum Evangelium tempore Chriſti, alterum vero futuris temporibus datum? Inſolens porro, & a patrum unanimi conſenſu aliena plane eſt hæc expoſitio, & Tridentini definitionibus multum adverſa; quippe privatam Scripturarum explicationem inducens adverſus communem Traditionem.

ſet. Et ibidem 22. 10. *Multi ſunt vocati, pauci vero electi*. Et I. Petri III. 20. 21. *In diebus Noe, cum fabricaretur Arca, in qua pauci, ideſt octo animæ ſalvæ factæ ſunt per aquam. Quod & vos nunc ſimilis formæ ſalvos facit baptiſma*. Et tamen uſque ad Noe tempora nullum extitit idololatriæ, nullum hæreſis veſtigium, quemadmodum inter Catholicos, non tamen apud omnes, & ſingulos noſtris hiſce temporibus, quibus Deiſmi, & Pirroniſmi ſectatores eſſe turpiter gloriantur nonnulli. Arca vero figura Eccleſiæ eſt, extra quam non ſecus ac extra Arcam ſalus non eſt. Pauci in Arca, pauci quoque in Eccleſia ſalvi fiunt. Hinc Origenes Hom. XXI. in cap. XXVI. Num. *Superna pars Arcæ erat arctiſſima; infima vero pars latiſſima: in inferioribus centum cubitorum ponitur longitudo, & quinquaginta latitudo, ſummitas in unius cubiti ſpatium conſummatur, ad deſignandum, quod in Arca Eccleſiæ pauci ad ſuperna, plurimi ad inferna deducantur*. Et I. Cor. X. 1. 6. *Patres noſtri omnes ſub nube fuerunt, & omnes mare tranſierunt, & omnes in Moyſe baptizati ſunt in nube, & in mari, & omnes eamdem eſcam ſpiritalem biberunt: (bibebant autem de ſpiritali, conſequente eos petra: petra autem erat Chriſtus) ſed non in pluribus eorum beneplacitum eſt Deo: nam proſtrati ſunt in deſerto. Hæc autem in figura facta ſunt noſtri*. Ibidem IX. 26. *Neſcitis, quod ii, qui in ſtadio currunt, omnes quidem currunt, ſed unus accipit Bravium. Sic currite, ut comprehendatis*.

Verum quod ad primam attinet Domini ſententiam ex affectu, quo Chriſtus peccatores proſequitur, ut eos ad bonam frugem perducat, inferre vult P. Gravina prælaudatum textum pauci-

tati ſalvandorum minime favere. Et tamen S. Auguſtinus ſermone 32. de verbis Domini, „ Confirmavit Dominus (inquit) quod di- „ xit, ſcilicet quod pauci ſunt, qui ſalvantur : „ quia per anguſtam portam pauci intrant. Alio „ autem loco hoc idem ipſe ait: Arcta eſt via, „ quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt, qui in- „ grediuntur per eam. “ Huic explicandi rationi inhærent unanimiter SS. Patres de paucitate ſalvandorum agentes, quemadmodum infra ex Patrum catena liquido conſtabit. Hinc nemini fas eſſe videtur ſine temeritatis nota contendere ſenſum illum huic textui apprime non convenire. In Tridentino enim Seſſ. 4. in Decreto de editione, & uſu ſacrorum librorum divino plane conſilio ſancitum eſt: *Ad coercenda petulantia ingenia, ut nemo ſuæ prudentiæ innixus in rebus fidei, & morum ad doctrinæ Chriſtianæ ædificationem pertinentium, ſacram Scripturam ad ſuos ſenſus contorquens, aut contra ſenſum, quem tenuit, & tenet S. Mater Eccleſia . . . . aut etiam contra unanimem conſenſum Patrum ipſam Sacram Scripturam interpretari audeat*. Hoc ſaluberrimum Decretum plures alias P. Gravinæ conjecturas per ſe exſufflare valet; utpote quæ proprio ingenio tantum, ut plurimum, nituntur, non ſpectata ſeniorum mente.

Pergamus nunc ad Parabolam de homine diſcumbente ad regale nuptiarum convivium, in qua hæc animadvertit P. Gravina: „ Hic unus non „ veſtitus veſte nuptiali figurat reprobos, reliqui „ accumbentes, quibus impletæ ſunt nuptiæ, electos figurant: hinc qui adhærent ſententiæ de „ majori electorum numero inter Catholicos adul-

„ tos

„ tos utuntur hac parabola apud P. Granado. Si
„ igitur Parabola exprimit multitudinem electo-
„ rum, vix unum reproborum; quomodo con-
„ ſtanter hoc epiphonemate claudi poteſt: *Multi*
„ *igitur reprobi; pauci electi*. " At primo animadvertas velim ſcopum proprium, & directum, quem ſibi in ea parabola proponit Chriſtus Dominus, eſſe Judæorum reprobationem, quia invitati noluerunt nuptiis intereſſe, & gentium vocationem, quemadmodum cuique eam parabolam legenti ſatis liquet, & conſtitiſſet etiam P. Gravinæ, ſi ſaltem clariſſimum confratrem ſuum Cornelium a Lapide, quoad hunc locum conſuluiſſet. Dum ergo Chriſtus obiter eos attingit, qui quamvis ad fidem vocati, in die judicii tamen decorati non ſunt veſte nuptiali (ideſt non contexta ex bonis operibus, ut intelligunt SS. Hieronymus, Chryſoſtomus, & alii; vel charitate, ut interpretantur S. Auguſtinus l. 2. contra Fauſtum c. 19. S. Gregorius, & alii) & ideo diſcumbere ad cæleſtes nuptias prohibentur, ſatis illi fuit unum indicare, veluti exemplar, & ſpeculum cunctorum impiorum; hoc unum tamen majorem indicat reproborum numerum inter fideles ipſos, ſi paulo accurate inquiramus vim illius teſtimonii. Enim vero ſtatim poſt judicis ſententiam hiſce verbis contentam: *Mittite eum in tenebras exteriores: ibi erit fletus & ſtridor dentium*: ſtatim legimus: *Multi enim ſunt vocati, pauci vero electi*. Natura autem & vis vocis *enim* eſt indicare rationem, ſeu probationem ultimæ propoſitionis. Ultima autem Propoſitio eſt *homo non veſtitus veſte nuptiali, & immiſſus in tenebras exteriores*. Ratio autem,

tem, ut ajunt Theologi, *negativa*, qua veſtitus non eſt veſte nuptiali, & igni addictus, hæc eſſe videtur, quia multi ſunt vocati, pauci electi. Quaſi diceret, quia pauci vocationi reſpondent, ideo & tu, quia vocationi non reſpondiſti, quia charitate cares, quia bonis operibus inſtructus non es, ſempiterno igni juſto Dei judicio addictus es. Hinc imperite admodum ſe gerere videntur, qui Parabolam iſtam de majori electorum numero inter adultos Catholicos intelligi volunt. Et quod revera hæc Domini concluſio optime intelligi debeat de paucitate ſalvandorum vel inter adultos Catholicos, ex Patrum teſtimoniis, quæ ſtatim adjiciam, perſpicuum erit. Unum interim, vel alterum teſtimonium, ne res alicui præſumpta videatur, ex iis decerpere lubet. Magnus itaque Gregorius hom. 19. in Evang. *Sed poſt hæc terribile eſt valde, quod ſequitur; multi enim ſunt vocati, pauci vero electi: quia & ad fidem plures veniunt, & ad cæleſte Regnum pauci perducuntur*. Et S. Irenæus Lugd. Epiſcopus, & Martyr l. IV. contra hæreſes cap. *36*. §. *6*. *Quemadmodum enim in priori Teſtamento, non in multis bene ſenſit illorum, ſic & hic multi vocati, pauci electi*.

Pergit inde P. Gravina ad loca numeralia, in quibus explicandis ordinem invertit, fortaſſis ut tenuitas nimia in conjecturis exponendis, quam ipſemet optime noverat, minus lectores afficiat. Ab extremo igitur teſtimonio deſumpto ex Apoſtolo exordium ſumens, nempe: *Neſcitis, quod ii, qui in ſtadio currunt, &c.* ſic diſſerit: „ Nimis „ probaret, & reipſa probat nihil; id unum aſ„ ſerit, fruſtra eſſe bonam vitam, qua ad Cælum

„ cur-

„ currimus, niſi claudatur morte bona, qua per„ ſeverantiæ bravium aſſequamur; ea enim una „ Cælum conſequitur. Quid enim Judæ pro„ fuit bona vita, ſi deſiderata eſt in eo mala „ mors? Cæterum de hac Paradiſi figura actum „ eſt. “

Verum quis æmulari poteſt ſapientiam Pauli? Et tamen ſapientior alius, qui præceptoris officium in eum ſubire contendit, nunc comparere videtur, qui ipſam Pauli probandi rationem aperte improbat. At phraſis, quam ſacræ litteræ uſurpare ſæpe numero ſolent, plane ignarum ſe prodit, qui in ſimilitudine ab Apoſtolo adhibita nimiam arguit probationem, quia textum Apoſtoli ad unum tantum coarctat. Neque enim innuere vult Apoſtolus unum Chriſtianum cæteris omnibus præcurrentem bravium æternæ hæreditatis accepturum (non enim ſtatim adjiceret plurali numero, *ut bravium comprehendatis* ſed ut comprehendas: neque etiam conciliari amplius poſſet illud: *in domo Patris mei manſiones multæ ſunt*) ſed ſolida Doctrina Apoſtoli eſt de excitandis hominibus, ut viriliter incedant per arctam viam, quæ ducit ad vitam, & ſtrenue ſe gerant uſque in finem; quod quidem aperte declarat D. Joannes Chryſoſtomus Hom. 23. in Ep. 1. ad Corinth. ad ea verba: *Neſcitis, quod ii qui in ſtadio currunt &c.* inquiens: „ Hoc au„ tem dicit, non quaſi hic unus ex multis ſalu„ tem ſit conſequuturus, abſit; ſed quod nos debea„ mus ſtudium adhibere multum. Sicut enim ibi „ multis in ſtadium deſcendentibus, non coro„ nantur multi; ſed unus id aſſequitur; nec ſuf„ ficit in certamen deſcendere, neque inungi, &

„ con-

„ certare; ita & hic quoque non ſatis eſt credi-
„ diſſe, & utcumque decertaſſe; ſed niſi ita cur-
„ ramus, ut uſque in finem inculpatos nos præ-
„ beamus, & bravio propinqui ſimus, nihil aſſe-
„ quemur. “

At an major, minorve habendus ſit eorum numerus, qui inculpate uſque in finem vitam traducant, dijudicare quiſque facile poterit ex iis, quæ ex magis recepta vivendi ratione antea diſſeruimus. Hinc Apoſtolus ex ſimilitudine illa, in qua unus tantum accipit bravium, arguit paucitatem eorum, qui bravium æternæ beatitudinis apprehendunt; nec melius quam unitate hanc paucitatem ſignificare poterat. Neque enim ſimilitudines pari greſſu procedant neceſſe eſt, quoad ſingulas partes, ſed ſatis eſt, ut vim doctrinæ ſolide exprimant. Hinc quamvis, ut etiam docet D. Chyſoſtomus paulo ante laudata verba, aſſerat Apoſtolus *vanum & ſuperfluum eſſe laborem, niſi felici claudatur exitu ex hac vita* (quod quidem non abſolute eſt intelligendum, quia per retroactam rectam vitam ſaltem mitius damnati ardebunt in igne; ſed ſupervacaneum eſſe laborem ad ſalutem aſſequendam) *& viciſſim, non id unum tamen aſſerit, ſed urget præterea ex paucitate eorum, qui bravium adipiſcuntur, ut ſinguli bonum certamen certare ſtudeant: quod maxime comprobatur ex ipſa Apoſtoli inductione. Sic currite, ut comprehendatis.* Unde S. Bernardus Epiſt. 254. ad Gavinum, inquit: „Exultavit Domi-
„ nus noſter, ut gigas, ad currendam viam.
„ Porro currentem non apprehendit, qui & ipſe
„ pariter non currit. Unde Paulus ajebat. Sic
„ currite, ut comprehendatis, Quod ſi Domino

„ cur-

„ currente tu gradum ſiſtis, non Chriſto appropias, ſed te magis elongas, timendumque eſt, quod ait David: Ecce qui elongant ſe a te Domine, peribunt."

Ad textum vero Apoſtoli quod attinet, nimirum I. Cor. X. 16. *Patres noſtri omnes ſub nube fuerunt &c. - - - - Sed non in pluribus eorum beneplacitum eſt Deo: nam proſtrati ſunt in deſerto. Hæc autem in figura facta ſunt noſtri*, Lectores remittit Gravina ad refutationem objectorum ex interpretibus, nimirum ad pag. 655. & ſeqq. inquiens: „ Et ibidem exponam, cur potiſſimum præ cæteris hunc locum enodandum ibi ſeligam." At niſi in verbis, quæ allaturi ſumus, fidem datam abſolvat, certe alibi ne attingit quidem quod ſpoponderat, quamvis accurate integrum citatum caput perlegerim. Quoniam autem verba Apoſtoli reſpiciunt textum illum Numerorum cap. XIV. v. 30. nimirum, quod ex tot centenis armatorum millibus duo ſoli Caleb, & Joſue ingreſſi ſunt Chanaam, hinc interpretationem Cornelii a Lapide hunc in locum ſibi diluendam proponit, ut alia interpretatione ipſius Cornelii in allatum textum Apoſtoli utramque ſolvat difficultatem. In cit. lib. Num. hæc ſibi ex Cornelio a Lapide ante oculos ponit. „ Allegorice, ſicut ex tot centenis millibus ſoli Joſue, & Caleb ingreſſi ſunt Terram promiſſam; ita ex tot centenis hominum millibus pauci ſalvantur, euntque ad Cælum." Sic autem diluit: „ Venio ad exponenda, quæ nobis objicit a Lapide, nempe locum Numerorum, & locum Matthæi C. VII. v. 13., quæ verba in alia occaſione repetiit Chriſtus Do-

„ mi-

„ minus, quemadmodum narrat Lucas C. XIII. „ v. 24. Ad diluendum locum Numerorum de „ ſolis duobus, qui ex Iſraelitis, ex Ægypto „ profectis Chanaan ingreſſi ſunt ſatis ſint, quæ „ allegavimus ex ſapientiſſimis *dogmatis* duorum „ inſignium Interpretum, Salmeronis & Abulen- „ ſis ſub num. 410. Allegorice igitur hac figura „ admonemur, ut ipſemet a Lapide advertit: „ Comm. in 1. Ep. ad Cor. Cap. X. v. 1. Poſt „ baptiſmum Chriſtianis eſſe certandum in ago- „ ne, ne reprobi fiant, & bravium amittant; „ quia ſic Hebræi poſt typicum baptiſma, & „ eſcam cæleſtem, ſcilicet Manna, Terram Pro- „ miſſionis, & Bravium inertes per peccata ami- „ ſerunt; & ex ſexcentis millibus ſolus Joſue, „ & Caleb Terram Promiſſam ingreſſi ſunt. Ca- „ vete ergo, o Corinthii (loquitur Paulus, „ utens allegoria hujus loci Numerorum), ne „ pariter ob inertiam, & vitam, Fidei, & Ba- „ ptiſmo diformem Cælo excludamini. Ita a La- „ pide; ita & nos eidem reſpondentes. “ At expoſitio ad textum Apoſtoli ex Cornelio a Lapide petita non excludit, quod ipſe antea docuerat appoſite ad textum Numerorum; quemadmodum cuique legenti ſatis conſtat; nam ex eo infert perutilem doctrinam ad mores ſpectantem, quæ ſimilis plane eſt ſententiæ Apoſtoli: *Cum timore, & tremore veſtram ſalutem operamini;* quia quemadmodum Hebræi poſt typicum baptiſmum, & eſcam ſpiritualem bravium amiſerunt, & ex ſexcentis millibus duo tantum Terram promiſſam ingreſſi ſunt, ita jure cavendum eſt, ne idem vobis contingat, & a cæleſti Jeruſalem excluda-

mi-

mini, quoniam argumentatur Apoſtolus a typo ad rem figuratam. Hic autem Interpres etiamſi expreſſe non agat de pluralitate pereuntium in Chriſtianiſmo, eam certe non excludit, quod ſatis eſt, ut firma permaneat doctrina ab eo antea tradita. Et hæc ſatis quoad interpretationem Cornelii a Lapide.

Nec vero vel tantillum minuit tali interpretatione P. Gravina vim textus Apoſtoli, nam adhuc permanet virtus illorum verborum, nempe *ſed non in pluribus eorum beneplacitum eſt Deo, nam proſtrati ſunt in deſerto. Hæc in figura facta ſunt noſtri*. Nam ut figura aliqua ratione figuratum exprimat, plures ſint oportet ex ipſis Catholicis, qui quamvis iiſdem ſacris undis abluti ſint, & unam ſpiritalem eſcam acceperint, Deo tamen minime placeant, quia ab accepta juſtitia declinarunt, & miſere tandem pereant. Quæ quidem interpretatio maxime conſona eſt expoſitioni D. Gregorii Nazianzeni Orat. XXXII. ad 150. Epiſcopos Tom. I. pag. 515. Edit. Colon. 1690. Ad ea verba, *ſed non in pluribus eorum beneplacitum eſt Deo*, inquit: „ Hinc etiam, „ quod ad moralem ſenſum attinet, diſcimus „ paucos eſſe, qui a peccato emergant, ſalu„ temque conſequantur. Proinde nihil eſt, quod „ te moveat eorum, qui piorum nomine cenſen„ tur, multitudo. Multis ſiquidem Chriſti no„ men ineſt, cæterum in paucis teſtimonium „ operum nomini fidem adſtruit. “ Nec diverſimode loquitur D. Jo. Chryſoſtomus Hom. XXIII. in Ep. I. ad Cor., qui, poſtquam explicuit ſingulas illius figuræ partes, & ad novum retulit

Te-

Teſtamentum, gradum facit ad ea verba explananda, nimirum, *ſed non in pluribus &c.* inquiens: „ Conſiderate ergo, quot beneficia illis „ præſtiterit; ab Ægypto, & a captivitate ipſos „ liberavit, mare ſtravit, ex Cælo Manna dimiſit, ex terra fontes aquarum non expectatos emiſit, ipſis ubique præſens erat miracula edens, „ & undique ipſos muniens. Attamen quia tanto dono dignum nihil exhibuere, non pepercit illis, ſed omnes perdidit. *Nam proſtrati* „ *ſunt*, inquit, *in deſerto*; repentinum illorum „ interitum, pœnas, & ſupplicia divinitus immiſſa per hoc dictum declarans, & quod propoſita præmia non ſint aſſecuti. Neque enim in „ terra promiſſionis hæc eis fecit; ſed extra, & „ procul ab ea regione duplici afficiens ſupplicio, & quod non concederet ipſis terram videre, quam ipſis promiſerat, & quod gravi „ ſupplicio affecerit. Et quid hæc inquies ad nos? Ad te utique ſpectant, ideo ſubjunxit: „ Hæc autem in figura facta ſunt noſtri. Sicut „ enim dona figuræ ſunt; ita quoque ſupplicia „ figuræ. “ Ex quibus nitidiſſimis verbis clare colligitur tam dona, quam ſupplicia ibi figurata ad nos pertinere; ſed ibi ſupplicium pluribus contingit; nam omnes (intellige plures) perdidit; *proſtrati nempe ſunt in deſerto*; ergo pluribus quoque Catholicis, quia beneficiis Dei munere collatis minime reſpondent, æternum ſupplicium contingere jure cenſendum eſt. Quod vero attinet ad dogmata Salmeronis, & Abulenſis, non ſolum ex iis difficultatem ſolvit, ſed ne eos quidem nominat. Atque ut id perſuaſum cuique eſſe debeat, totum, quod continetur num.

410. ab ipſo P. Gravina indicato, in notis exhibeo. (*a*)

Quod ſi hic paucis complectitur P. Gravina doctrinam Salmeronis & Abulenſis, quam affert num. 418., non autem num. 410. non ita intemperanter accipienda eſt eorum doctrina, quemadmodum P. Gravina, cui ex eorum placitis colligere poſſe videtur plura pugnantia in ſacris litteris, ſi parabolas accipiamus de numero reproborum, vel electorum. At dum legimus inter tot millia duos tantum electos, & in terram Chanaan ingreſſos, & in univerſali diluvio octo ani-

(*a*) Reſpondeo primis quinque locis de morali impoſſibilitate aſſequendi Paradiſi. Eſto illud ſit verum: quid tum propterea? Audiant adverſarii, quæ tres Evangeliſtæ narrant, Matthæus, Marcus, Lucas. Magni enim momenti ſunt. Hinc non ſatis erat ſemel narrari, narrandum erat iterum, ac tertio. Ea re, quæ jam ſemel dicemus adverſariis noſtris iterum dicendum eſſet, ac tertio. Igitur ubi Chriſtus Dominus in vivido lumine collocavit impoſſibilitatem moralem ſummam, ut homo dives Cælum aſſequatur illis formulis: *Amen dico vobis, quia dives difficile intrabit in Regnum Cælorum. Et iterum dico vobis facilius eſt Camelum*, (ideſt rudentem, ſeu funem craſſiorem) *per foramen acus tranſire* (qua apud ipſos proemia Hebræi aſſueverant rem impoſſibilem, ſaltem moraliter explicare,) *quam divitem intrare in Regnum Dei*; ubi, inquam, Chriſtus, hanc moralem impoſſibilitatem expoſuit, Diſcipuli mirabantur valde dicentes: *Quis ergo poterit de Divitibus ſalvus eſſe?* Aſpiciens autem Jeſus dixit illis: *Apud homines hoc impoſſibile eſt, apud Deum autem omnia poſſibilia ſunt.*

animas ſalvas fuiſſe, & id ad novum Teſtamentum referimus, non id numeraliter accipimus, ſed electorum paucitatem tantum ibi intelligendam eſſe aſſerimus, quemadmodum aperte docet S. Iſidorus Hiſpalenſis in lib. quæſtionum in Num. quæſt. 42. op. parte 2. p. 196. Edit. Madrid ann. 1599. „ Porro quod ſexcenta millia „ armatorum de Ægypto numerantur egreſſa, & „ ex ipſis non ſunt amplius, quam duo terram „ repromiſſionis ingreſſi, hæc figura demonſtrat „ *multos per baptiſmum ad fidem tranſire*, *ſed ad* „ *patriam cæleſtem Pauciſſimos pervenire* ſecundum „ figuram illam. In Evangelio, inquam, *mul-* „ *ti vocati*, *pauci vero inveniuntur electi*. " Non enim ſimilitudines in omnibus pari ratione conveniunt, ſed ſatis eſt, ut ſolidam exprimant doctrinam. Quod vero pugnantia in iis deprehendi nequeant, ſed apprime conveniant inter ſe, præter ea, quæ diximus, liquido etiam conſtabit ex Patrum catena, quam in medium adducam, nec non ex ſolutione difficultatum aliarum.

Renuit tandem P. Gravina ſenſum moralem agnoſcere in ſupra laudato Petri teſtimonio de arca, ſed propriis ingenii viribus fidens nulla munitus Patrum auctoritate ſic allata verba interpretatur. „ Naufragi illi non poſſunt figurare „ reprobos; inter eos enim, ut ibidem adverti- „ tur, & aliqui, & fortaſſe plures, ſalvi facti „ ſunt . . . . Qui increduli fuerant aliquando, „ quando expectabant Dei patientiam in diebus „ Noe, cum fabricaretur arca: (qui pœniten- „ tiam egere vel verbis Noemi, extremo tem- „ pore, vel dum naufragium faciebant, vexatio- „ ne dante intellectum) in qua pauci, ideſt octo

 „ ani-

„ animæ ſalvæ factæ ſunt . Alterum reſponſum
„ exhibent proxima verba : quod & vos ſimilis
„ formæ ſalvos facit baptiſma : & ſane pauci
„ ſunt baptiſmo initiati reſpectu hominum ba-
„ ptiſmate carentium : ſed nec baptiſmus ante
„ Chriſtum neceſſarius ad ſalutem erat, & poſt
„ Chriſtum duplex eſt baptiſmi ſupplementum .
„ Baptiſmi votum , ſeu Baptiſmus flaminis, &
„ Martyrium , ſeu Baptiſmus ſanguinis . Hæc
„ autem ſi penſentur , ne per ſomnium quidem
„ eruitur, longe majorem hominum partem nau-
„ fragium facere. “

At ſi unicuique liceat ſacrarum litterarum textus proprio marte interpretari , & ad propriam firmandam ſententiam convertere , de genuino illarum ſenſu actum jam eſt. Quid in hanc rem ſtatuant Tridentini Patres legant ii, qui intemperanter nimis ſacris litteris abutuntur. Porro quamvis naufragi illi juxta definitionem P. Gravinæ non poſſint figurare reprobos, ii tamen ſatis clare ibidem indicantur, ſi SS. Patrum expoſitiones inquiramus , qui & miram eſſe electorum paucitatem in ipſo Eccleſiæ gremio ex hoc, & ex aliis adductis ſacræ Scripturæ textibus aperte docent. S. Gregor. in Evang. lib. II. Hom. XXXVIII. Tom. III. pag. 126. edit. Romæ ann. 1591. inquit : „ Terrere autem vos non
„ debet, quod & in Eccleſia multi mali , &
„ pauci ſunt boni : quia arca in undis Dilu-
„ vii, quæ hujus Eccleſiæ typum geſſit, & am-
„ pla in inferioribus, & anguſta in ſuperioribus
„ fuit : quæ in ſummitate etiam ſua ad unius
„ menſuram cubiti excrevit . Inferius quippe
„ quadrupedia, atque reptilia, ſuperius vero aves,

„ & ho-

„ & homines habuiſſe credenda eſt. Ibi lata ex„ titit, ubi beſtias habuit, ibi anguſta, ubi ho„ mines ſervavit: quia nimirum ſancta Eccle„ ſia in carnalibus ampla eſt, in ſpiritualibus an„ guſta. Ubi enim beſtiales hominum mores to„ lerat, illic latius ſinum laxat. Ubi autem eos „ habet, qui ſpirituali ratione ſuffulti ſunt, illic „ quidem ad ſummum ducitur: ſed tamen, quia „ pauci ſunt, anguſtatur. Lata quippe via eſt, „ quæ ducit ad perditionem, & multi ſunt, qui „ vadunt per eam: & anguſta eſt, quæ ducit ad „ vitam, & pauci ſunt, qui inveniunt eam. Eo „ autem uſque arca anguſtatur in ſummis, quouſ„ que ad menſuram unius cubiti perducatur: quia „ in ſancta Eccleſia quanto ſanctiores quique ſunt, „ tanto pauciores. Quæ in ſummo ad illum per„ ducitur, qui ſolus homo in hominibus, & ſi„ ne alterius comparatione natus eſt ſanctus. Qui „ juxta Pſalmiſtæ vocem factus eſt ſicut paſſer „ unicus in ædificio. Tanto ergo magis mali „ tolerandi ſunt, quanto & amplius abundant: „ quia & in areæ tritura pauca ſunt grana, quæ „ ſervantur horreis, & grandes acervi palearum, „ qui ignibus comburuntur. “

Similia docet S. Ambroſius lib. de Noe cap. II. „ Quia te vidi juſtum coram me ex omni„ bus gentibus. Multi hominibus juſti viden„ tur; pauci Deo: aliter hominibus, aliter Deo „ &c. “

Verum ut dubitationem omnem de medio tollamus, an fortaſſe plures pœnitentiam egerint vexatione dante intellectum, & ſalvi facti ſint, vim Græci textus accurate perpendamus. Legi-

mus enim: ἐν ᾧ καὶ τοῖς ἐν φυλακῇ πνεύμασι πορευθεὶς ἐκήρυξεν. ἀπειθήσασί τότε ὅτε ἀπεξεδέχετο ἡ τοῦ Θεοῦ μακροθυμία ἐν ἡμέραις Νῶε κατασκευαζομένης Κιβωτοῦ. εἰς ἣν ὀλίγαι, τουτέστιν, ὀκτὼ ψυχαὶ διεσώθησαν ὕδατος. ὃ ἀντίτυπον νῦν καὶ ὑμᾶς σώζει βάπτισμα. Ideſt: *In quo & illis, in cuſtodia* (*a*) *Spiritibus profectus prædicavit: Incredulis aliquando, quando expectabat illa Dei longanimitas in diebus Noe apparata Arca, in quam paucæ, ideſt octo animæ ſervatæ ſunt per aquam. Cui correſpondens exemplar nunc & vos ſalvat baptiſma*. Ita vertit Arias Montanus. Syrus vero ita legit: *Cum longanimitas Dei præcepit, ut fieret Arca ob ſpem pœnitentiæ eorum*. Porro hic urgetur illa Dei patientia, quæ tamdiu peccatores expectat ad pœnitentiam, quemadmodum expectavit Chananæos, & Amorræos a Cham uſque ad Joſue, qui eos excidit. Sic expectavit alias gentes uſque ad Nabuchodonoſorem, qui eas tandem evertit. Immiſſionem itaque Diluvii Deus patienter, & longanimiter prorogabat expectans peccatorum pœnitentiam, ut quemadmodum Ninivitis, ita & iis comminatam pœnam ſuſpenderet. At quoniam *omnis caro corruperat viam ſuam*, & increduli erant, & irridebant Noe, qui comminatione diluvii eos ad pœnitentiam provocabat, (*b*) quemadmodum Judæi irridentes oracu-

la

(*a*) *Spiritibus*, qui *in cuſtodia erant*, (& ut alii vertunt *in inferno*, alii *in carcere*) *prædicavit Chriſtus* (inquit Œcumenius in hunc locum,) *his*, *qui ſecundum carnem vixerant*, *ad judicium* (judicando, & condemnando illos) *illis vero*, *qui ſecundum ſpiritum*, *ad gloriam*, *& ſalutem*.

(*b*) Ita Cornelius a Lapide in hunc locum.

la Iſaiæ 28. dicentis: *Hæc mandat Dominus*, dicebant: *Manda*, *remanda*, *expecta*, *reexpecta*, *modicum ibi*, *modicum ibi*, quaſi falſæ & illuſoriæ eſſent minæ Noe. Hinc quænam ſpes affulgere poteſt ex tanta cordium obduratione, ut pluribus ex iis Deus ſingularem pœnitendi gratiam contulerit? Num pœnitentia naturale donum eſt, quod ex vexatione dante intellectum facile oriatur? Vexationem hanc facile etiam pati poterant, cum fabricaretur Arca, & tamen pœnitentiam non egerunt, licet centum circiter anni (*a*) a commi-

(*a*) Centum circiter annos interceſſiſſe a comminatione ad Diluvium, colligi facile poſſe videtur, ſi conferamus Caput V. Gen. cum duobus ſequentibus. Verſiculo enim ultimo cap. 5. legimus: *Noe vero cum quingentorum eſſet annorum, genuit tres filios Sem, Cham, & Japhet*. Cap. autem VI. repetitur hæc generatio, & nullis interjectis, nec ulla facta temporis diſtinctione ſtatim animadvertitur corruptio univerſæ carnis, & comminatio Diluvii adjicitur, nec non præceptum condendi arcam. Enimvero verſic. 9. & ſeq. legimus: „ Noe vir juſtus, „ atque perfectus fuit in generationibus ſuis, cum „ Deo ambulavit. Et genuit tres filios Sem, Cham, „ & Japhet. Corrupta eſt autem Terra coram „ Deo, & repleta eſt iniquitate. Cumque vidiſ„ ſet Deus Terram eſſe corruptam, (omnis quip„ pe caro corruperat viam ſuam ſuper Terram) „ dixit Noe: Finis univerſæ carnis venit coram „ me: repleta eſt terra iniquitate a facie eorum, „ & ego diſperdam eos cum terra. Fac tibi ar„ cam. " Quapropter cum comminatus eſt Deus finem univerſæ carnis, Noe quingentorum erat annorum. Capite vero 7. v. 5. hæc habemus: „ Fe„ cit ergo Noe quæ mandaverat ei Dominus. „ Erat-

minatione elapſi ſint ad Diluvium. Inanis igitur fiducia eſt, ſeu potius gratuita aſſertio quolibet deſtituta fundamento. Futiliſſima vero eſt altera Gravinæ reſponſio. Nam quid refert ante Chriſtum neceſſarium non fuiſſe Baptiſmum? Num ſequitur numeroſiores tunc temporis fuiſſe Electos, quam Reprobos? Certe ex unanimi Patrum conſenſu probatum ſatis eſt neceſſariam & tunc fuiſſe ad ſalutem Mediatoris fidem, quæ ſacrificiis ſignificabatur. An vero plures, an pauciores ante Chriſtum habendi ſint univerſa hominum tunc ſpectata natura, qui & Mediatoris fide inſtructi fuerint, & ſacrificiis eam ſignificaverint, quiſque judicare facile poterit, qui in hiſtoria veteris Teſtamenti mediocriter ſit verſatus.

Præterquamquod non fides tantum, ſed & mores recte inſtituti etiam tunc ad ſalutem poſtulabantur. Hinc qua duce ratione vitam degerent antediluviani homines novimus ex Geneſ. cap. 6. & ſeqq. *Corrupta* nempe *erat terra*, *& repleta iniquitate*, *& cuncta cogitatio intenta ad malum omni tempore*. (v. 5. & 12.) Poſt diluvium vero, cum Dominus *pluit ſuper Sodomam*, *& Gomorrham ſulphur*, *& ignem a Domino*, *& ſubvertit civitates has*, *& omnem circa regionem*, *univerſos habitatores urbium*, (Gen. cap. 19. v. 24.) nec decem juſtos ibi extitiſſe compertum habemus, quoniam cap. præc. v. 32. legimus: *Quid ſi in-*

„ Eratque ſexcentorum annorum, quando diluvii „ aquæ inundaverunt ſuper Terram." Centum igitur anni circiter elapſi ſunt a facta comminatione ad Diluvium.

ſi inventi fuerint ibi decem? Et dixit (Deus) *non delebo propter decem*: Cum propter ſimulacra, quæ colebant, proſcripſit Deus Chananæum, Amorrhæum, & Hethæum, Pherezeum quoque & Hevæum, & Jebuſæum (Exod. 34. v. 11. & ſeqq.): cum filiis Iſrael præcepit Deus, poſtquam ſingula iniquitatum genera recenſuit, ne inquinarentur *in omnibus his, quibus contaminatæ ſunt univerſæ gentes, quas ego* (inquit; Deus) *ejiciam ante conſpectum veſtrum, & quibus polluta eſt terra: cujus ego ſcelera viſitabo, ut evomat habitatores ſuos*. (Levitici 18. v. 24. 25.) Cum pluries tandem ipſe electus populus lapſus eſt in idololatriam, quemadmodum legimus Geneſ. 34. v. 2. de ipſa domo Jacob, dum ipſe convocata omni domo ſua ait: *Abjicite Deos alienos, qui in medio veſtri ſunt*: Et cum recenter adhuc eductus eſſet populus e dura Pharaonis ſervitute *fecerunt ſibi vitulum conſtatilem, & adoraverunt*, (Exodi 32. v. 8.) *& ciciderunt in die illa viginti tria millia hominum*(ibidem. v. 28.). Hæc, (ne ſingula hujus generis perſequar) ſi penſentur, (dicam ego potiori jure) *ne per ſomnium quidem eruitur* minorem tantummodo hominum partem ante Chriſtum naufragium feciſſe.

Ad novum Teſtamentum vero quod attinet, in ſumma rerum ignoratione verſari videretur, qui tantum in dubitationem adduceret, an ex univerſo hominum genere plures electi ſint, an reprobi. Si nempe ſingulas percurramus Nationes (*a*) extra omnem dubitationis aleam poſitum

(*a*) Vide Cl. Mamachium in opere, cui titulus: Ori-

tum eſt longe numeroſiores eſſe, qui ad baptiſmi gratiam minime perveniunt, (ſive aquæ ſit, ſive ſanguinis, ſive flaminis) & qui extra Eccleſiæ Arcam degunt, & tamen (ut docet Lactantius lib. V. Inſtitutionum cap. 30. Tom. III. Bibl. Patrum p. 588.) „ ſi quis non intrave„ rit, vel a qua ſi quis exierit, a ſpe vitæ & „ ſalutis æternæ alienus eſt. " Quare oleum, & operam perdere exiſtimarem, ſi in ea tantum commoſtranda vel tantillum temporis impenderem. Satius ergo erit ad magis operoſam diſputationem dirimendam cogitationem convertere, quæ ad praxim refertur, nempe ad regulam Apoſtoli nos excitat; *ut cum timore, & tremore noſtram ſalutem operemur*. Sit itaque.

C A P U T II.

P R O P O S I T I O.

Conſtans, & perpetua SS. Patrum doctrina eſt majorem habendum eſſe reproborum, quam electorum numerum inter ipſos adultos Catholicos.

QUanti facienda ſit veneranda Antiquitatis canities in Theologicis controverſiis dirimendis novimus ex ipſa Patrum doctrina, qui IV. & V. Eccleſiæ ſæculis, & ſequiori-

---

Origin. & Antiquit. cap. 2. & ſeqq. in quibus agitur de origine, & propagatione Chriſtianæ Religionis in ſingulis Mundi partibus.

ribus ætatibus floruerunt. Eo enim tota tendit Patrum iſtorum temporum oratio, ut doceant Antiquitati eſſe religioſiſſime adhærendum. Ita S. Cæleſtinus Papa in ſermone in Conc. Rom. habito ann. 430. adverſus hæreſim Neſtorii ex Damaſo, Ambroſio, & Hilario B. Virginem agnoſcendam, & confitendam eſſe Deiparam demonſtrat. Idem factum novimus a S. Leone in Ep. ad Leonem Auguſtum, quæ erat de Verbi Dei Incarnatione, dum doctrinam confirmat ex SS. Gregorio Nazianzeno, Baſilio, Cyrillo Alexandrino, Auguſtino, Athanaſio, Ambroſio, aliiſque. Quinimo ad tollendum, & exterminandum errorem aliquem recenter prodeuntem in Eccleſia Dei, unice interdum adverſarios provocabant Patres IV. Sæculi ad trium priorum ſæculorum auctoritatem. Quod quippe argumentum etiamſi ſolum extitiſſet, efficax quam maxime, aptiſſimumque exiſtimabant ad novitatem quamlibet conterendam. Sic D. Auguſtinus lib. I. contra Julianum dimicans, Catholicam de peccato originali ſententiam propugnaturus Irenæi, Cypriani, Rheticii, Ambroſii, Baſilii auctoritates commemorat: *Tales quippe*, inquit, *ac tanti viri ſecundum Catholicam fidem, quæ antiquitus toto orbe diffunditur, & hoc, & illa vera eſſe confirmant, ut veſtra fragilis, & quaſi argutula novitas ſola auctoritate conteratur illorum*. Inquiramus etiam nos an argutula novitas P. Gravinæ de majori reproborum numero non ſolum inter adultos Catholicos, (tolerabilius ſaltem id eſſet) ſed etiam univerſa hominum ſpectata natura, ſola SS. Patrum auctoritate conteratur.

Patres Sæculi II.

S. Irenæus Ludg. Ep. & M. in libris contra hæreſes lib. 4. c. XV. §. 2. col. 245. Edit. Pariſ. an. 1710. *Invenient in ea vocatione, quæ eſt ſecundum nos, multos quidem vocatos, paucos vero electos*. Idem contra hæreſes lib. IV. cap. 27. §. 4. col. 265. *Sic & hic vocati multi, pauci vero electi . . . . An ignoratis* (dicente Apoſtolo) *quoniam injuſti Regnum Dei non hæreditabunt? Nolite ſeduci; neque fornicatores, neque idololatræ, neque adulteri, neque molles . . . . Regnum Dei poſſidebunt. Et quoniam non ad eos dicit, qui extra ſunt, ſed ad nos, ne projiciamur extra Regnum Dei, tale aliquid operantes*. Idem l. IV. contra hæreſes cap. 36. §. 6. col. 279. *Quemadmodum enim in priori Teſtamento non in multis illorum bene ſenſit, ſic & hic multi vocati, pauci electi*.

Tertullianus in lib. de fuga in perſecutione &c. prope finem Edit. Pariſ. 1695. *Multi vocati, pauci electi. Non quæritur, qui latam viam ſequi paratus ſit, ſed qui anguſtam*.

Patres Sæculi III.

Origenes Hom. IV. in Jeremiam, Operum Tom. III. p. 144. §. 3. edit. Pariſ. 1740. *Neque mentitur Jeſus dicens: Multi vocati, pauci autem electi: ex tantis Chriſtianam fidem pollicentibus, pauci ſane reperiuntur, qui habent fidem, & veritatem, & Beatitudine digni ſint*. Idem Origenes Com. in Matthæum, Operum Tom. III. p. 526. §. 12. „ Poſtquam vero animadverterimus unum-

„ quod-

„ quodque peccatorum, per quæ ad inferos de-
„ ſcenditur, portam inferi eſſe, intelligemus ani-
„ mam habentem maculam, aut rugam, aut hu-
„ juſmodi, quæque propter nequitiam neque ſan-
„ cta eſt, nec immaculata, petram non eſſe, ſu-
„ per quam Chriſtus ædificat. Si quis autem
„ nos ſuper his convictos pudore afficere vult
„ propter multitudinem hominum ex Eccleſia,
„ qui Fidem amplexi creduntur (vel juxta ve-
„ terem interpretationem,) *qui credere æſtiman-*
„ *tur*, dicendum eſt huic non illud modo: *mul-*
„ *ti vocati*, *pauci vero electi*, ſed & id, quod a
„ Servatore iis dictum eſt, qui ad ſe accedunt,
„ ut extat in Lucæ Evangelio iis verbis: *Con-*
„ *tendite intrare per anguſtam portam*, *quia mul-*
„ *ti dico vobis*, *quærent intrare per anguſtam*, *&*
„ *non poterunt*. Dicendum & illud eſt; quod ſcri-
„ ptum habetur in Matthæi Evangelio: *Quo-*
„ *niam anguſta porta*, *& arcta via eſt*, *quæ du-*
„ *cit ad vitam*, *& pauci ſunt*, *qui inveniunt eam*.
„ Animum autem ad id advertens: *quia multi*
„ *dico vobis*, *quærent intrare*, *& non poterunt*, in-
„ telliges illud ad eos pertinere, qui ſe ex Ec-
„ cleſia eſſe gloriantur quidem, imbecilliter au-
„ tem, & præter ſermonis Evangelici præceptum
„ vivunt, "

Patres Sæculi IV.

S. Athanaſius in Ep. 1. ad Caſtorem §. 13. Operum Tom. II. p. 372. edit. Pariſ. 1698. „ *Per multas tribulationes oportet intrare in Re-*
„ *gnum Cælorum*; *& anguſta porta*, *& arcta*
„ *via eſt*, *quæ ducit ad vitam*, *& pauci ſunt*, *qui*

„ *in-*

„ *inveniunt eam*. Animum itaque paucis illis bo-
„ nis adhibe, & ex eorum exemplo vitam inſti-
„ tue tuam, nec attendas pigris, & contempto-
„ ribus, quantumvis multi numero ſint. *Multi*,
„ inquit, *vocati*, *pauci vero electi*, *& parvus*
„ *grex eſt*, *cui placuit Patri dare regnum*. "
Idem dialog. 2. contra Macedon. Conf. prim. Operum Tom. II. p. 562. „ An non audivimus
„ Dominum dicentem: *Multi ſunt vocati*, *pauci*
„ *vero electi*; *anguſta eſt*, *& arcta via*, *quæ du-*
„ *cit ad vitam*, *& pauci ſunt*, *qui inveniunt eam*?
„ Quis igitur ſana mente præditus non malit
„ in *paucorum* eſſe numero, per anguſtam ad ſa-
„ lutem ingredientium, quam multorum per la-
„ tam ad interitum ruentium? "

S. Baſilius in ſermone Aſcetico de Renunciatione Sæculi §. 9. Operum edit. Pariſ. an. 1722. Tom. II. p. 210. „ Opta, ut ſis de numero pau-
„ corum. Rara ſiquidem quæ bona; quamobrem
„ etiam *pauci ſunt qui introeunt in Regnum Cælo-*
„ *rum*. Nolite putare ſalvari omnes, qui in Cel-
„ la ſe continent, malos etiam, & inutiles. Ne-
„ que enim ita ſe res habet. Nam ſunt multi
„ quidem, qui ſe ad virtutis, atque honeſti in-
„ ſtitutum transferunt, rariſſimi vero qui ejus
„ jugum ſuſcipiant. Violentorum enim eſt Re-
„ gnum Cælorum, & violenti rapiunt illud. "

S. Hilarius Tract. in Pſ. 64. §. 5. Operum edit. Pariſ. an. 1693. col. 164. ad ea verba: *Beatus*, *quem elegiſti & aſſumpſiſti*, *ut inhabitet in tabernaculis tuis*. *Omnis quidem caro*, inquit, *veniet*, *ideſt ex omni hominum genere congregamur*, *ſed Beatus eſt*, *quiſquis fuerit electus*: *multi enim ſecundum Evangelium ſunt vocati*, *pauci vero electi*.

Idem

Idem comm. in Matthæum cap. 22. §. 6. & 7. col. 120. de nuptiis filii Regis. *Hic itaque (nempe non inventus veſte nuptiali indutus) tollitur, & in exteriores tenebras mittitur, quia multi vocati ſunt, & pauci electi. Non eſt igitur paucitas in invitatis, ſed raritas in electis.*

Gregorius Nazianz. Orat. XXX. ad 160. Epiſcopos, Operum Tomo. I. p. 515. edit. Colon. ann. 1690. inquit. Illud autem quomodo intelligendum eſſe cenſes: „ *ſi fuerit numerus filiorum* „ *Iſrael, ut arena maris, reliquiæ ſalvæ fiant?* „ Quo item modo illud: *reliqui mihi ſeptem mil-* „ *lia virorum, qui non flexerunt genu ante Baal?* „ Non eſt ita, non, inquam, ita eſt. *Non in* „ *pluribus beneplacitum eſt Deo*. Tu quidem my- „ riades numeras: at Deus eos qui ſalutem con- „ ſequuntur; tu infinitum pulverem, ego electio- „ nis vaſa.“

Idem Orat. XXX., quæ eſt prima adverſus Eunomianos p. 534. inquit: „ Quid igitur? Cum „ audis viam unam eſſe, eamque *perangustam*, „ quid his verbis ſignificari putas? Unam ſane „ eſſe, ſi virtutem ſpectes, (hæc enim unica eſt, „ licet in multas partes ſecetur) verum anguſtam „ propter ſudores, & quia non a multis teritur, „ ſi quidem multitudinem eorum cogites, qui „ contrario itinere per vitium gradiuntur. Ita „ mihi quoque videtur.“

S. Jo. Chryſoſt. in illud: *ſi eſurierit inimicus &c.* §. 2. Operum T. III. p. 158. edit. Pariſ. 1721. *Lugeo, dum mihi venit in mentem, quanta pereat eorum multitudo, qui ſalvi erant: quantam faciam fratrum jacturam, quam exiguum in numerum redigantur, qui ſalutem adipiſcuntur, ut major pars* cor-

corporis Eccleſiæ mortuo, & immobili corpori aſſimiletur.

Idem in Acta Apoſtolorum Hom. 24. Tom. IX. p. 198. *Quod putatis in urbe noſtra eſſe, qui ſalutem conſequentur? Moleſtum quidem eſt, quod dicturus ſum. Dicam tamen. In tot millibus, non ſunt centum, qui ſalutem conſequantur, ſed de illis etiam dubito.*

S. Epiphanius quoque in illud Cantici Canticorum: *Surgam itaque, & circuibo Civitatem* p. 43. Edit. Rom. 1750. „ Oſtendit per ea verba, quia „ ſi quis eum quærit in foro, ubi ſunt mundi „ negotia, aut in plateis, non invenit, quo-„ niam platea, ideſt latine *lata via eſt quæ ducit* „ *ad perditionem, anguſta vero, atque contrita, quæ* „ *ducit ad vitam.* “

S. Ephrem de patientia Tom. 2. p. 331. Edit. Rom. 1743. „ talem quippe Dominus conſtituit „ viam, quæ ducit ad vitam, anguſtam ſcilicet, „ & arctam, ſicut ſcriptum eſt; ideo *& pauci* „ *ingrediuntur per eam.* “ Eadem habet de pænitentia Tom. 3. p. 398. Atque Parænef. 48. Tom. 2. p. 175.

S. Ambroſius in Apologia pro Davide cap. 9. Operum Tom. I. col. 690. Edit. Pariſ. 1686. „ Quomodo illud: *quis habitabit in tabernaculo* „ *tuo, aut quis aſcendet in montem Domini?* Non „ utique nullus, ſed rarus. “

Idem in Pſ. 40. §. 7. Operum Tom. I. col. 869. Edit. Pariſ. 1686. „ *In die mala liberabit eum* „ *Dominus*, quoniam amara videtur, quæ plu-„ res adjudicat pœnæ. Via enim virtutis angu-„ ſta eſt, lata delicti: ideo *rariores* in virtute am-„ bulant, *plures* in flagitio verſantur. Quo fit,

ut

„ ut inferior eorum ſit numerus, qui præmia re-
„ munerationis accipient, quam qui ob pretium
„ gravium peccatorum, ſortem adverſam judicii
„ reportabunt. Quaſi dolens igitur dixit malam
„ judicii diem . . . ideoque multi *damnantur*,
„ *pauci coronantur*. “

S. Hieronymus lib. 2. contra Pelagianos, Operum Edit. Veronæ. an. 1737. Tom. 2. p. 741.
„ *Quam arcta eſt via, quæ ducit ad vitam, &*
„ *pauci ſunt, qui inveniunt eam*. Non dixit, qui
„ gradiuntur per eam, hoc enim difficillimum
„ eſt, ſed qui inveniunt eam. Pauci enim in-
„ veniunt, & multo *pauciores* ingrediuntur per
„ eam. “ Lactantius lib. 6. Inſtitut. cap. 4. & 7. de via virtutis, & via vitiorum agens, & illi æterna bona, alteri vero æterna mala præparata eſſe admonens concludit tandem *pauciores eſſe, qui viam virtutis ingrediuntur, & idcirco eam anguſtam dici*.

S. Auguſtinus ſermone 90. de verbis Evangelii Matthæi 22. ubi de nuptiis filii Regis, Operum Tom. V. col. 487. Edit. Pariſ. an. 1683. (Perlege totam expoſitionem incipiendo: Nuptias filii Regis, ejuſque convivium) & poſt pauca hæc habet: „ *Intravit ergo Pater familias in-*
„ *ſpicere diſcumbentes, & invenit hominem non*
„ *habentem veſtem nuptialem: Et ait illi:*
„ *Amice quomodo huc intraſti non habens veſtem*
„ *nuptialem? At ille obmutuit*. Unus obmutue-
„ rat, & de ipſo uno dictum fuerat; *Ligate illi*
„ *manus, & pedes, & mittite illum in tenebras*
„ *exteriores: ibi erit fletus, & ſtridor dentium*.
„ Quare hoc? *Multi enim ſunt vocati, pauci ve-*
„ *ro electi*. Quid huic manifeſtationi veritatis

„ quiſpiam contradicat? *Mittite illum in tenebras* „ *exteriores*. Illum certe unum, de quo dicit Do„ minus: *Multi enim ſunt vocati, pauci vero ele*„ *cti*. Ergo pauci non mittuntur foras. Certe „ unus erat ille, qui non habebat veſtem nuptia„ lem. Projicite eum. Quare projicitur? *Multi* „ *enim ſunt vocati, pauci vero electi*. Dimittite „ paucos, projicite multos. Certe unus erat, unus „ omnino, certe non ſolum multi erant, ſed „ multitudine bonorum numerum ſuperabant. „ Multi enim & boni, ſed in comparatione ma„ lorum pauci ſunt boni: Multa frumenta nata „ ſunt: compara paleis, & pauca grana ſunt. „ Idem ipſi in ſeipſis multi, in comparatione „ malorum pauci. Quomodo probamus, quia in „ ſeipſis multi? *Multi ab Occidente, & Oriente* „ *venient*, quo venient? Ad illud convivium, „ in quod boni, & mali intrant. De alio con„ vivio locutus adjunxit: *Et recumbent cum A*„ *braham, & Iſaac, & Jacobi in Regno Cælo*„ *rum*. Illud eſt convivium, quo non acceſſuri „ ſunt mali. Hoc, quod modo eſt, digne acci„ piatur, ut ad illud perveniatur. Iidem ergo „ multi, qui pauci: multi in ſeipſis, pauci in „ malorum comparatione. Ergo quod ait Do„ minus? *Invenit unum*, & ait: *projiciantur* „ *multi, remaneant pauci*. Dicere enim *mul*„ *ti vocati, pauci vero electi* nihil eſt aliud, „ quam aperte oſtendere, qui in iſto convi„ vio tales habeantur, ut ad illud convivium „ perducantur, quo nullus accedet malorum. “

Idem ſerm. 51. Tom. III. col. 562. ad ea verba: „ *Si pauci ſunt, qui ſalvantur. Contendi*„ *te intrare per anguſtam portam*, inquit. *Per an*-

„ *gu*-

„ *guſtam portam pauci intrant* . . . . Audite me „ pauci . Scio, quia multi auditis, & pauci „ obauditis. Aream video, grana quæro. Et vix „ videntur grana, quando area trituratur, ſed „ futurum eſt, ut ventiletur. Pauci ergo, qui „ ſalvantur in comparatione multorum perituro- „ rum. "

Idem ſermone 249. §. 2. Tom. V. col. 1029. & ſerm. 250. §. 2. de duarum piſcationum diſſcrimine, & myſterio, ſimilia pronunciat.

Idem Ep. ad Vincentium Rogatiſtam §. 33. Operum Tom. II. col. 245. „ Non extinguunt iſti „ (perverſi nempe) frumenta Dominica in eo- „ rum quidem comparatione pauca, ſed multa „ per ſe ipſa non extinguunt electos Dei con- „ gregandos in fine ſæculi a quatuor ventis „ a ſummis Cælorum uſque ad terminos eorum „ &c. "

Idem in Pſ. 93. verſ. 16. Tom. IV. col. 1015. „ Multi mali te circumdant, quia pauca grana, „ multa palea. Habet hæc area grana ſua, ſed „ adhuc laborant. Separata ergo a palea tota „ maſſa grandis erit: pauca grana ſunt, ſed in „ comparatione palearum, multa autem in ſe. "

Idem Auguſtinus contra Fauſtum lib. 13. cap. 16. Operum Tom. VIII. col. 260. inquit: „ Sciret „ (gentilis ille) cum paucis hæreditatem Dei, „ cum multis autem ſignacula ejus participanda; „ cum paucis communicare ſanctitatem vitæ, „ & donum *charitatis diffuſæ in cordibus noſtris* „ *per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis*, ad „ quem fontem interiorem nullus alienus acce- „ dit: cum multis autem ſanctitatem ſacramen- „ ti, quod qui manducat, & bibit indigne, ju-

„ dicium ſibi manducat, & bibit, qui autem
„ manducare contemnit, non habebit in ſe vi-
„ tam, & ideo non perveniet ad vitam æter-
„ nam: eoſdemque paucos in comparatione mul-
„ titudinis malorum *paucos* dici; eſſe autem per
„ ſe ipſos conſideratos in magno numero diffu-
„ ſos toto orbe terrarum, creſcentes inter ziza-
„ niam, & cum palea uſque ad diem meſſis, &
„ ventilationis. “

Idem Auguſtinus lib. 20. contra eumdem Fau-
ſtum Manichæum Tom. VIII. col. 350. „ At enim,
„ multi Chriſtiani Catholici vocantur, & ſunt
„ adulteri, raptores, avari, ebrioſi, & quidquid
„ aliud ſanæ doctrinæ adverſantur. Quid autem in-
„ ter vos in tam exiguo, ac pene nullo numero ve-
„ ſtro, nonne plerique ſunt tales, & quidam
„ in Paganis non ſunt tales? Num ideo Paga-
„ nos, qui tales non ſunt, dicitis meliores vo-
„ bis? Cum tamen propter ſacrilegam vanita-
„ tem ſectæ veſtræ etiam qui in vobis tales non
„ ſunt, Paganis etiam talibus deteriores ſint. Un-
„ de manifeſtum eſt, non ideo derogari ſanæ
„ doctrinæ, quæ ſola Catholica eſt, quia multi
„ ejus nomine cenſeri volunt, & per illum ſa-
„ nari nolunt. Agnoſcenda enim eſt paucitas
„ illa, quam Dominus præcipue commendat,
„ in ingenti, atque innumerabili multitudine
„ toto orbe diffuſa; quæ tamen paucitas ſan-
„ ctorum, atque Fidelium, quod ſæpe commen-
„ dandum eſt, tamquam granorum in comparatione
„ multitudinis palearum paucitas dicitur, per ſe au-
„ tem ipſam tantam maſſam frumenti facit, ut omnes
„ probos, & reprobos veſtros, quos pariter veritas
„ reprobat, incomparabili multitudine ſuperet. “

Patres Sæculi V.

Joannes Caſſianus de Inſtitutis Renunciantium cap. 38. ad ea verba: *anguſta eſt porta, & arcta eſt via &c.* inquit: „ Vive ergo, ut pauci, ut „ cum paucis inveniri merearis in Regno Dei: „ *Multi enim ſunt vocati, pauci vero electi &c.* „ *Puſillus eſt grex, cui complacuit patri hæreditatem dare.* “

S. Nilus Abbas Epiſtolarum lib. I. Epiſt. 157. Tom. I. p. 65. Edit. Romæ an. 1668. „ *Anguſta* „ *janua, & arcta via eſt, quæ ducit in vitam,* „ *& pauci ſunt, qui deprehendunt.* Si itaque, „ qui eam deprehendunt, pauci ſunt: multo pauciores erunt, qui introire valeant. “ Eadem tradit S. Iſidorus Peluſiota Epiſcopus lib. 5. Ep. 89. ad Euſebium Presbyterum.

S. Cyrillus Alexandrinus in Iſaiam lib. 2. in illud: *Propterea pauciores habitabunt in terra, & relinquentur homines pauci.* Op. Tom. 2. p. 338. Edit. Pariſ. an. 1638. „ Deſcendent ad inferos „ puniendi, & relinquentur *pauci*, ideſt, qui per „ Juſtitiam Deo placuerunt, & ex præclare, fortiterque geſtis divitias adepti ſunt. Sunt autem „ hi pauci juxta Salvatoris vocem, quoniam „ *multi* quidem *vocati, pauci vero electi.* Idem lib. 6. comm. in Evang. Joannis cap. 5. Tom. IV. p. 402. „ Inter multos vocatos per gratiam „ ad ſupernam Civitatem aſcendunt *non multi.* „ Pauci enim electi juxta Salvatoris ſententiam, „ ex omni videlicet gente aſſumpti. “

S. Leo Magnus ſerm. 48. de Quadrageſima Operum Tom. I. p. 116. Edit. Lugd. ann. 1760.

 „ Im-

„ Impletur itaque per omnia ſententia veritatis, „ qua dicitur anguſtam eſſe, & arctam viam, „ quæ ducit ad vitam, & cum latitudo itine- „ ris ad mortem trahentis multis frequentetur ag- „ minibus, in ſalutis ſemitis paucorum intran- „ tium ſunt vera veſtigia. “

Patres Sæculi VI.

S. Hormiſda Ep. 21., quæ eſt ad Omnes Catholicos Orientales, & quæ lecta eſt act. 2. Quintæ Synodi (Vide Baronium ad ann. 518. num. 6.) inquit: *Anguſta porta, ſed regna diffuſa, paucis aditus, ſed probatis.*

S. Gregorius Magnus Moral. lib. 17. in cap. 25. Job, Operum Tom. I. col. 542. Edit. Pariſ. an. 1705. „ Qui (electi nempe) licet nunc „ pauci appareant, in inviſibili tamen patria innu- „ merabiles regnant; quia etſi ex comparatio- „ ne pravorum pauci ſunt, in congregatio- „ nis ſuæ frequentia metiri nequaquam poſ- „ ſunt. “

Eadem habet Moralium lib. 30. cap. 39. Job v. 7. Tom. I. col. 981.; & Moralium lib. 32. in cap. 40. Job, Tom. I. col. 1057.

Idem Gregorius lib. I. in Evang. Hom. 19. Tom. I. col. 1513. „ Sed poſt hæc terribile eſt „ valde, quod ſequitur: *Multi enim ſunt vocati,* „ *pauci vero electi;* quia & ad fidem plures ve- „ niunt, & ad cœleſte Regnum pauci perducun- „ tur. “

Similia legimus in Evang. lib. II. Hom. 38. Tom. I. col. 1638. ubi Electorum paucitatem deſignatam eſſe vult in figura Arcæ. Similia quoque

que ſuper Cant. verſ. 7. cap. 6. Tom. III. parte II. pag. 445.

Primaſius Adrumeti in Africa Epiſcopus lib. IV. in Apocal. Vide Bibliam PP. Edit. Colon. Tom. 6. p. 2. p. 187. col. 1. „ Cum partis ad- „ verſæ deſcriberet poteſtatem, aptius hic agni „ victoriam prædicavit, quem in ſuis triumpha- „ re deſignans, adjicit. Et qui cum eo erant „ *electi*, *&* *fideles*, *&* *vocati*. Bene præmiſit *ele-* „ *cti*, propter quod Dominus dicit: *Multi enim* „ *ſunt vocati*, *pauci electi*.

Patres Sæculi VII.

S. Iſidorus Hiſpalenſis in lib. Quæſtionum in Numeros, Q. 42. Operum parte 2. p. 196. Edit. Madrit. an. 1599. „ Porro, quod ſexcenta millia „ armatorum de Ægypto enumerantur egreſſa, „ & ex ipſis non ſunt amplius, quam duo ter- „ ram repromiſſionis ingreſſi; hæc figura demon- „ ſtrat *multos per baptiſmum ad fidem tranſire*, „ ſed ad Patriam cæleſtem pauciſſimos perveni- „ re ſecundum figuram illam in Evangelio, in „ qua *multi vocati*, *pauci vero inveniuntur ele-* „ *cti*. "

Eadem ſentit Antiochus Monachus Paleſtinus Hom. 94. Vide Bibliotech. PP. tom. 7. p. 209.

Patres Sæculi VIII.

Venerabilis Beda in Matthæi lib. 4. cap. 20. Op. to. V. col. 79. *Multi enim ſunt vocati*, &c. *quia ad fidem multi veniunt*, *&* *ad cæleſte Regnum pauci perducuntur*.

Idem docet in Lucam lib. V. cap. 18. Tom. V. col. 392.

Patres Sæculi IX.

Paſchaſius Ratbertus lib. IV. Comm. in Matthæum Tom. IX. Biblioth. PP. p. 1003. *Quia lata porta, & ſpatioſa via, quæ ducit ad perditionem. Hanc igitur, licet nemo quærat, omnes inveniunt, quia in ea nati, & ſi inde abſtulerint, ultronea ſe offert. Unde rarus, qui ad virtutem manus mittat.*

Item lib. 10. in Matth. p. 1152. „ *Multi autem ſunt vocati, pauci vero electi*. Non igitur „ paucitas invitatorum, ſed paucitas electorum, „ quia in invitatione abſque ulla exceptione immenſæ bonitatis eſt magnitudo, in invitatis „ vero diſcretio eſt Judicii, & probitatis electio. “

Patres Sæculi X.

Ratherius Epiſcopus Veronenſis in ſerm. 2. de Aſcenſione apud Lucam d' Achery in Spicilegio &c. Tom. I. p. 399. „ *Multi enim ſunt vocati, pauci vero electi?* Et non: *Omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in Regnum Cælorum?* Qui enim ſunt vocati, niſi per Baptiſmum Eccleſiam ingreſſi? Quid pauci electi, niſi qui Sacramentum vivendo tenuerunt, „ quod inde perceperunt? Qui non electi, niſi „ qui non ſervaverunt, quod promiſerunt. “

S. Nilus Calaber, cum reprehenderetur a Metro-

tropolita Calabriæ revelatio quædam facta S. Symeoni Stylitæ de paucitate ſalvandorum, paucitatem hanc certiſſimam eſſe pluribus oſtendit, ut legitur in ejus vita apud Baronium ad annum 976. §. 3.

Si quis plura deſideret, conſulat accuratiſſimam Patrum collectionem elaboratam a Cl. Foggini in opere *de paucitate ſalvandorum*; a quo & nos plura accepimus teſtimonia, utpote ſuis exemplaribus plane reſpondentia.

Theologorum doctrinam perſequi in hac re ſupervacaneum exiſtimo poſt ineluctabile argumentum deſumptum ex non interrupta SS. Patrum Catena. Nam præterquamquod eam tuentur communiter Theologi, (ut videre eſt apud Didacum Ruiz de Montoya Tom. de prædeſtinat. p. 54. ſect. 1., & præter D. Thomam I. part. quæſt. 23. art. 7. ad 3. eam docent Cajetanus in Parab. de Virginibus, Carthuſianus, Lyranus, Maldonatus in cap. 22. Matth., Molina 1. p, quæſt. 23. art. 7. Cornelius a Lapide in cap. 1. Epiſtolæ Jacobi, & alii.) *Hujuſmodi tamen cauſæ definiendæ ſunt non Theologorum numero, ſed pondere fundamentorum*, ut docet inſignis Theologus Societatis Jeſu P. Michael Elizalde in opere in ſcripto *de recta doctrina morum* Parte III. lib. VIII. q. XVI. §. IV. p. 235. Hinc fundamenta jeci, quibus firmiora, & ſolidiora poſtulari nequeunt. Et ibidem §. VI. p. 237. ita diſſerit. „ Si qui nihilominus erunt, qui diſſentiant, precamur, ut rem auctoritate agant (ſincere quidem non ficte intellecta) ſanctorumque aliquorum qui multitudinibus ſalutem promiſerint, Doctrinis nos conſolentur; miſe-

„ ran-

„ randum enim alioquin eſt, ac valde miſe-
„ randum exiſtimare ſanctos Dei, Eccleſiæque
„ Doctores in via ipſa ſalutis ſcienda, quam eos
„ ſciviſſe certiſſime credimus, aberraſſe. “

Hinc oleum, & operam perdere exiſtimarem, ſi ad Theologicam trutinam revocarem futiles alias conjecturas, quæ ex aſceticis, & aliis infimis Theologiæ locis inepte repetit P. Gravina: Etenim ex iis tantum conjicit, ut ipſe fatetur, quemadmodum ex ſacris litteris, & SS. Patribus, ex quibus tantum deſumptæ conjecturæ ex præexcellenti, quo gaudent fundamento, nempe verbo Dei, ſcripto, vel tradito, diluendæ videntur.

At quoniam aliæ & hoc deſtitutæ ſunt præſidio, hinc contemnendæ plane videntur, ne lectorum abutar patientia. Neque enim opinari licet SS. Patres in via ſalutis tradenda, quam certe noverant, unanimiter erraſſe.

CAPUT III.

Diluuntur conjecturæ P. Gravinæ e ſacris litteris petitæ, & compeſcitur veriſimilitudo benignæ opiniones.

SAcrarum litterarum teſtimonia ad intelligentiam SS. Patrum exacta, nec non unanimis Patrum conſenſus in doctrina aliqua Theologica aſſerenda ita Rem fide divina certam conſtituunt, ut falſum, temerarium, & hæreſi proximum cunctis Theologorum ſuffragiis haberi debeat, quod in contrarium adducitur. Quamvis tamen iis rite jactis fundamentis, quibus nil ſolidius ad fir-

man-

mandum aliquod certiſſimum dogma adinveniri poteſt, fulciatur ſententia noſtra; nihilominus, ſi P. Gravinæ ſententiam audiamus, hæc eadem Propoſitio nonniſi veriſimilitudine gaudet, eodem ferme pacto, ac oppoſita ſententia, cujus veriſimilitudinem ex nonnullis conjecturis tantum repetendam eſſe judicat. Inquit enim p. 528. „Contentus ſum oſtendere, ſi divinorum librorum „ teſtimonia quædam acutius introſpiciamus; nec „ contrariam, nec noſtram aut certam eſſe, aut „ invincibilem; utrinque præſto ſunt conjecturæ, „ in promptu præſidia ad veriſimilitudinem pro „ utraque parte firmandam." At quid ſentiendum ſit de hac enuntiata veriſimilitudine, qua plurimum ſententiæ noſtræ detractum eſſe quiſque intelligit, ſententiæ vero Gravinæ plus æquo tributum, aliis judicandum relinquo. Novit enim unusquiſque Theologicas diſciplinas excolens magnum intereſſe diſcrimen inter argumentum ab immutabili verbo Dei, & conſtanti Patrum traditione depromptum, ac inter conjecturas ab humana cogitandi ratione petitas; adeo ut conjecturæ, quibus altera innititur ſententia, a perpetua Traditione in oppoſitum conterantur plane, & fiant pulvis.

Examini ſubjiciamus nunc, an ſaltem firmitatis aliquid deprehendi queat in conjecturis a P. Gravina conſtitutis, unde benignæ ſententiæ in ſe tantum conſideratæ veriſimilitudinis ratio convenire poſſit. Quamobrem eas, quæ circa ſacrarum litterarum, & SS. Patrum teſtimonia verſantur, utpote aliquam ſoliditatis formam gerere videntur, examinandas aggredimur.

Primam itaque conjecturam conficit P. Gravi-

vina ex phraſi, qua utitur Matthæus cap. XIII. v. 49. nempe: *Sic erit in conſummatione ſæculi: exhibunt Angeli, & ſeparabunt malos de medio juſtorum*, inquiens: „ Electi igitur plures Reprobis ſunt, ſi Scripturarum formulam ſpectemus. Nimirum juxta proprietatem loquendi „ (quæ in Scripturis divinis maxima eſt) rebus confuſis, atque commixtis minor numerus „ a majori ſeparari dicitur. “

Heterodoxis quidem familiare eſt in ſacris litteris explicandis verborum cortici tantum inhærere, nulla habita ratione ad contextum. At quod Catholicus Theologus ſilentio prætereat in eodem textu, quæ ipſius aſſertioni directe opponuntur, mirum ſane videri debet. Si itaque P. Gravina ſimilitudinem advertiſſet, quæ habetur verſu præcedenti, ſimilem loquendi rationem comperiiſſet quoque de Electis. Similitudo enim eſt de *ſagena miſſa in mare*, in qua omne piſcium genus colligitur. Boni piſces figurant Electos, mali vero Reprobos, & tamen ibi legimus: *Elegerunt bonos in vaſa, malos autem foras miſerunt*. Quamobrem ſi communis Scripturarum phraſis eſt juxta Doctrinam P. Gravinæ rebus confuſis, & commixtis minorem numerum ſeparari a majori, electi certe ex minori numero conſtant, utpote qui figurantur per bonos piſces, qui malis commixti ab iis inde ſeparantur. En futilis plane conjectura, quæ ex ipſo contextu diſſolvitur. Alium itaque ſenſum præſeferunt laudata verba. Ideo enim Reprobi primo ſeparantur, quia ipſi primum Judicis ſententiam ſubibunt, quod cum antecedentibus ejuſdem capitis quoque apprime componitur. Similitudinem enim illam

illam tritici, & zizaniorum ſic concludit Chriſtus: *Sicut ergo colliguntur zizania, & igne comburuntur: ſic erit in conſummatione ſæculi. Mittet filius hominis angelos ſuos, & colligent de Regno ejus omnia ſcandala, & eos, qui faciunt iniquitatem: & mittent eos in caminum ignis. Ibi erit fletus, & ſtridor dentium. Tunc Juſti fulgebunt, ſicut Sol in regno Patris eorum.*

Utrum autem zizania, & paleæ tritico prævaleant, nec ne, non temere ex futili quadam conjectura dijudicare debemus, ſed patrum doctrina accurate inquirenda eſt. S. itaque Auguſtinùs (ut alia Patrum teſtimonia miſſa faciam brevitatis cauſa) contra Creſconium lib. 3. §. 75. Tom. 9. col. 473. poſtquam oſtendit, Electos per ſe ipſos quidem multos eſſe, paucos autem in comparatione malorum ſubdit. *Sic multa grana, quibus horrea complentur magna, pauca dicimus in comparatione palearum.* Idem repetiit S. Doctor lib. 2. contra litteras Petiliani Donatiſtæ §. 106. Tom. 9. col. 251. Quare in aſſequendo Sacrorum librorum ſenſu non extollendum ingenii acumen, ſed veritas potius ſimpliciter inquirenda.

Pergit inde P. Gravina ad laudandum in altera conjectura Dei, Chriſtique ſtudium ſalvandi homines, cui analogæ ſunt, & aliæ conjecturæ deſumptæ a Chriſto omnium Redemptore, a Dei Providentia, Potentia, & Sapientia, ab Angelis cuique hominum delectis ad cuſtodiam, a Mariano tandem patrocinio in ſalutis negotio: ex quibus Theologo noſtro inferre poſſe videtur Conſectarium illud; ergo pluribus datum eſt ad æternæ ſalutis portum appellere, etiamſi uni-

ſi univerſam hominum ſpectemus naturam.

Verum quamvis in Deo ſeriam agnoſcamus voluntatem ſalvandi omnes homines virtute meritorum Chriſti, *Qui Redemptione copioſa, nimia charitate, pretio magno plus nobis* reſtituit, quam Adam abſtulerit, dum ab accepta Juſtitia declinavit; & licet de Providentia Divina fateamur illud Sapientiæ VIII. v. 1. *Attingit ergo a fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter:* & de Potentia cum Eccleſia Catholica canamus: *Qui omnipotentiam tuam parcendo, & miſerando maxime manifeſtas*: & de Sapientia quoque divina agnoſcamus dictum ab Apoſtolo: *O altitudo divitiarum Sapientiæ, & Scientiæ Dei, quam incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus*: (ad Rom. XI. v. 33.) & quamvis tandem Angelorum cuſtodia, & Mariæ Patrocinium ad ſalutem nobis plurimum conferant, fateri tamen illud quoque debemus, quod veritas ipſa docuit, nimirum: *Qui creavit te ſine te, non ſalvabit te ſine te*. Quæ quidem verba intelligenda eſſe de cooperatione voluntatis, ſine qua ad Regnum nec unus adultorum pervenire valet, Theologorum nemo inficiabitur. Controverſia igitur tota in eo verſatur, an in pluribus, an vero in paucioribus hæc bona voluntas quæ eſt ex Gratia Chriſti, deprehendatur. Porro bona voluntas ex bonis operibus comprobatur juxta illud: *ex fructibus eorum cognoſcetis eos*. Quot autem ſint ex ipſis adultis Catholicis, *qui ſpiritus fervore concepto, & in fide inveniantur ſtabiles, & in opere efficaces*, ex vivendi ratione, quæ inolevit in pluribus, & ex iis, quæ cap. 1. & ſeqq. diſſeruimus, dijudicare quiſque facile poterit.

Præ-

Præterea cum ſalus æterna bonum ſit, communem ſtatum naturæ excedens, contingere debet in paucioribus, deficere in pluribus, ut aperte docet D. Thomas, qui ex hac etiam doctrina paucitatem ſalvandorum infert. Inquit enim q. 23. art. 7. ad 3. „ Dicendum, quod bonum pro-
„ portionatum communi ſtatui naturæ accidit,
„ ut in pluribus, & deficit, ut in paucioribus;
„ ſed bonum, quod excedit communem ſtatum,
„ invenitur ut in paucioribus, & deficit ut in plu-
„ ribus: ſicut patet, quod plures habent homi-
„ nes ſufficientem ſcientiam ad regimen vitæ ſuæ;
„ pauciores autem, qui hac ſcientia carent, v.gr.
„ ſtulti: ſed pauciſſimi ſunt, qui attingunt ad
„ habendam profundam ſcientiam intelligibilium
„ rerum. Cum igitur beatitudo æterna in viſio-
„ ne Dei conſiſtens excedat communem ſtatum
„ naturæ præcipue ſecundum quod eſt gratia de-
„ ſtituta per corruptionem originalis peccati:
„ pauciores ſunt, qui ſalvantur. Et in hoc et-
„ iam maxime miſericordia Dei apparet; quod
„ aliquos in ſalutem illam erigit, a qua plurimi
„ deficiunt. "

Miror ſane Theologum Societatis ita urgere Chriſti ſtudium omnes homines ſalvandi, Mariæ patrocinium, & Angelorum cuſtodiam, qui docet p. 136., & alibi verſatilem gratiam ad unum omnibus indifferenter conferri ejuſdem plane naturæ, ac adjutorium Adæ collatum, negat vero intrinſecam gratiæ efficaciam. In quo quidem a Præceptoris ſui Molinæ doctrina ne tantillum quidem deſciviſſe videtur. Itaque, ut miſſam faciamus controverſiam illam magno æſtu exagitatam in ſcholis de natura actualis gratiæ Adæ,

(no-

(noſtrum enim non eſt eam definire) urgemus tantum paucitatem ſalvandorum ex iiſdem principiis Gravinæ. Porro eadem actuali Gratia verſatili dimiſſa libero voluntatis arbitrio ſuffultus erat tam Adam innocens cum Angelis Sanctis, ac nunc inſtructi ſint homines baptiſmate renati juxta traditam Gravinæ doctrinam. Hoc tamen inter utrumque ſtatum intereſt diſcrimen, quod illi recto ordine, & dominio rationis, reluctante nullo motu concupiſcentiæ gaudebant, nec non ea ſapientia, qua inviti errare non poſſent. *Quare, nec diabolus eum cœpiſſet, niſi jam ille ſibi placere cœpiſſet*, ut argute ait S. Auguſtinus Lib. XIV, de Civit. Dei cap. XIII. *Et Angeli in ea beatitudine perſtitiſſent, niſi ſibi ſuperbe placendo Deum deſeruiſſent*. Quamvis tamen *in tantis bonis* eſſent conſtituti, *in tanta beatitudine* defecerunt, tum Adam, tum plura Angelorum agmina. In altero vero ſtatu, nimirum in ſtatu corruptæ naturæ, etiamſi ſacris abluti ſint undis Catholici adulti, non deſinit tamen caro continuo adverſus ſpiritum concupiſcere, quæ ad modum *habitus vitioſi*, ut docet D. Thomas, permanet in nobis, una cum ignorantia. Si igitur primus homo ſola verſatili gratia adjutus (loquimur enim de actuali Gratia: *Tale quippe erat Adæ adjutorium, quod deſereret, cum vellet, & in quo permaneret, ſi vellet, non quo fieret, ut vellet*, ut ait D. Auguſtinus lib. de Cor. & Grat. cap. 11.) quamvis dono integritatis inſtructus, quo caro Spiritui, Spiritus Deo perfecte ſubjiciebatur, tamen ab illa integritate defecit per ſolum liberum arbitrium, ſi id quoque pluribus Angelorum copiis contigit, profecto nonniſi temere præſumi

poteſt

poteſt in ſtatu corruptæ naturæ aliquos adultos Catholicos ſola verſatili gratia adjutos in tantis malis ſalutem aſſequi. At quid temeritate fortius? Aut quid tam indignum Theologi gravitate, quam aut falſum ſentire, aut quod nulla ratione exploratum eſt aſſerere? Porro utramque notam incurrit P. Gravina, dum nullo ſuffultus præſidio aſſerere non dubitat, plures non ſolum ex Catholicis adultis, ſed etiam ex Ethnicis, Mahometanis, Hebræis in tanta ægritudine ſalvari, quam damnari ſola verſatili gratia adjutos.

Tolerabilius certe fuiſſet Gravinæ conſectarium, ſi præter verſatile adjutorium agnoviſſet etiam medicinalem Chriſti gratiam, qua fit, *ut non ſolum facienda noverimus, ſed etiam ut cognita ſancto amore faciamus*, ut eam optime definit S. Auguſtinus lib. 4. ad Bonifacium cap. 5. quæ non tantum tribuit agendi potentiam, ſed ipſum velle, & operari, quemadmodum docet *præſtantiſſimus Gratiæ Miniſter*, (ſic eum vocat S. Proſper Cap. ultimo Ep. ad Rufinum) ad normam Doctrinæ Eccleſiæ: (*a*) quamvis tamen

(*a*) Ne crambem recoquere videar, minime perſequar, quæ Theologi ex ſacris litteris, ex Eccleſiæ orationibus, & ex omnibus pene libris D. Auguſtini repetunt ad oſtendendam gratiam ſe ipſa efficacem. Referam tantum Decretum Benedicti XIII. *Demiſſas preces* anni 1724. : in quo a calumniis vindicat Summus Pontifex hujus Doctrinæ propugnatores; atque Doctrinam de Gratia per ſe efficaci, ut dogma celebrat, emanans a verbo Dei,

plures ſint, qui vitiis dediti, & per latam, & ſpatioſam viam incedentes ſpeciale hoc Dei donum demerentur, & pauci, qui a peccatis liberentur, ſimulque virtutis opera exerceant, atque uſque in finem perſeverent.

§. II.

Quod ſi ineptæ fuerunt conjecturæ hucuſque expoſitæ, ineptiores ſunt, quæ ſequuntur. Quare ne ego quoque ineptire videar, breviter eas re-

---

Dei, & Patrum dictis, nec non ſummorum Pontificum, & Conciliorum Decretis: *Magno igitur animo*(inquit S. Pont.) *contemnite, dilecti filii, calumnias intentas ſententiis veſtris de gratia præſertim per ſe, & ab intrinſeco efficaci, ac de gratuita prædeſtinatione ad gloriam ſine ulla præviſione meritorum, quas laudabiliter hactenus docuiſtis, & quas ab ipſis SS. Doctoribus Auguſtino, & Thomæ ſe hauſiſſe, & verbo Dei, Summorumque Pontificum, & Conciliorum Decretis, & Patrum dictis conſonas eſſe ſchola veſtra gloriatur. Cum igitur bonis & rectis corde ſatis conſtet, ipſique Calumniatores niſi dolum loqui velint, ſatis perſpiciant SS. Auguſtini & Thomæ inconcuſſa, ſanctiſſimaque dogmata nullis prorſus antedictæ Conſtitutionis* (*Unigenitus*) *cenſuris eſſe perſtricta, ne quis impoſterum eo nomine calumnias ſtruere, & diſſenſiones ſerere audeat, ſub canonicis pœnis diſtricte inhibemus.* Quod Decretum ab eodem confirmatum eſt in celebri Bulla *Pretioſus*, & ab omnibus item ejus ſucceſſoribus, nimirum a Clemente XII. in Conſtitut. *Verbo Dei & Apoſtolicæ Providentiæ*, a Benedicto XIV. in ſuis brevibus litteris Toloſanæ; Academiæ datis anno 1753. tandem ann. 1760. a S. D. N. Clemente XIII. in ſuis item brevibus litteris datis Vallis Umbroſæ municipibus pro ratione ſtudiorum.

recenſere arbitror, quoniam ex iis, quæ hucuſque pertractavimus, ſolidam reſponſionem conficere facile quiſque poteſt.

Confert itaque P. Gravina Juſtitiam cum Miſericordia, quæ ſemper ſuperabundat Judicio. At quamvis attributa Dei in eo ſpectata unum ſint, idemque, *ab extra* tamen, ut loquuntur Theologi, nempe ab effectibus, Miſericordia utique ſuperabundat Judicio, etiamſi unus tantum a maſſa damnata eriperetur; quare inepte ex eo deducitur plures ex hominibus ſalvari, quam damnari.

Nec minoris certe imbecillitatis eſt ea, quam inde adjicit P. Gravina ex Angelis petitam, collatis cum hominibus in Adam peccantibus, inquiens: „ Deus Angelis peccantibus non pepercit (II. Petri II. 4.) At erga homines dicitur Deus clemens, & miſericors, patiens, & multæ miſerationis, & ignoſcens ſuper malitia, (Jonæ IV. 2.) & multus ad ignoſcendum (Iſaiæ IV. 7.): Attamen dicemus poſt tantum prælationis amorem ex Angelis electos duplo majores Reprobis; ex hominibus e contrario Reprobos multo majores electis?“

Verum etiamſi doctrinam ſequamur D. Jo. Chryſoſtomi Hom. 24. in Act. Apoſtolorum, quæ eſt de mira ſalvandorum paucitate, tamquam ſi unus tantum ex centum hominibus ſalutem aſſequatur, nihilominus jure erga homines prædicari poteſt Deus Clemens, Miſericors &c., quoniam nec uni ex Angelis lapſis pepercit Deus. Arbitraria eſt vero plane concluſio Gravinæ, quoniam incerta res eſt, nec temere dijudicanda, quot Angeli conditi ſint, quot perierint, & an ii homi-

nes tantum Divino beneplacito electi ſint, quot Angeli Apoſtatæ ceciderunt, cum & ipſi Eccleſiæ Doctores inter ſe diſſentiant. (*a*)

Con-

(*a*) Dionyſius, ſive Auctor librorum de Div. Nom. & Cæl. Hierarch. cap. 14. & Dionyſius Carthuſianus, & D. Thomas quæſt. 1. art. 3. docent, exercitum Angelorum excedere omnium rerum corporearum multitudinem: *Quia* (inquit S. Doctor loc. cit.) *quanto aliqua ſunt magis perfecta, tanto in majori exceſſu ſunt creata a Deo*. Quæ tamen intelligit Cajetanus de numero ſpecierum, non individuorum. Quoad numerum vero lapſorum volunt nonnulli dimidiam fuiſſe partem, alii vero tertiam, quod inferunt ex v. 4. Cap. XII, Apocal. *Et cauda ejus trahebat tertiam partem ſtellarum*, quæ intelligi volunt de tertia parte ſupernarum mentium quæ ceciderunt.

Quoad numerum vero electorum hominum volunt nonnulli hunc æquare numerum illorum Spirituum, qui a beatitudine ceciderunt, quemadmodum innuere videntur S. Anſelmus in lib. *Cur Deus homo* cap. 18., & Iſidorus de ſummo bono cap. 52., & D. Auguſt. lib. XXII. de Civit. Dei cap. 1. inquiens: *Tantum populum per gratiam ſuam collegit, ut inde ſuppleat, & inſtauret partem quæ lapſa eſt Angelorum*. Cornelius vero a Lapide in comm. ſup. v. 4. cap. 12. Apocalypſis pag. 205. *Porro in hac alluſione (alius eſt nempe ſenſus litteralis primario intentus, uti jam dixi) dicitur Lucifer traxiſſe poſt ſe tertiam partem ſtellarum, ideſt Angelorum, non Arithmetice, ſed vulgariter accipiendum eſt, ſcilicet tertiam, ideſt magnam partem. Nam non videtur præciſe traxiſſe tertiam: inde enim ſequeretur plures eſſe homines, quam ſint Angeli, & Dæmones ſimul juncti: id ſequi patet; quia ſoli homines beandi, puta electi ſupplent hanc*

ter-

Conjecturam aliam inſtituit Theologus noſter ex *Reprobis innominatis in Sacris litteris*, *nominatis* autem ibidem *electis*. *Hoc autem* (inquit p. 134.) *quis ibit inficias indicio eſſe velle Deum*, *ut facilius de hominum ſalute pie*, *ac benigne judicemus*, *quam de eorumdem æterna morte admodum ſevere*.

R. De Antiocho morti proximo legimus Machab. II. cap. 9. v. 13. *Orabat autem hic ſceleſtus Dominum*, *a quo non eſſet miſericordiam conſecuturus*. Item cap. I. Ep. Catholicæ B. Judæ Apoſtoli verſ. 7. legimus: *Sicut Sodoma*, *& Gomorrha*, *& finitimæ civitates ſimili modo exfornicatæ*, *& abeuntes poſt carnem alteram*, *factæ ſunt exemplum ignis æterni pœnam ſuſtinentes*. (Conſule cap. II. hujus ſec. Partis) Agnoſce ergo diſcrimen hoc tantum intereſſe electos inter, & reprobos nominatos in ſacris litteris, quod electi nominatim recenſentur, utpote pauci, reprobi vero turmatim proponuntur propter nimiam multitudinem.

Ultima tandem conjectura Gravinæ deſumpta eſt ex collatione Parabolarum, quarum una eſt de Dei Juſtitia, aliæ vero Dei benignitatem arguunt, ex quibus *admodum belle arguitur* (inquit p. 535.) *quid opinandum de ejus miſericordiæ*

---

tertiam partem Angelorum lapſorum eorumque ruinas adimplent. Jam vero homines beandi non ſunt tertia pars, imo nec decima omnium hominum. Nam longe plures homines damnantur, quam ſalvantur, nimirum ex decem vix unus, imo ex D. Chryſoſtomo ex centum vix unus ſalvatur.

& Juſtitiæ uſu in re de electis, & reprobis. Reſponſio patet ex dictis. Et quidem Lectorum patientia abuterer, ſi in hiſce nugis recenſendis adhuc protraheretur oratio. Quapropter ne Lectoribus ſim moleſtus, quæ reliquæ ſunt ex Patribus conjecturæ, eas cap. ſequenti uno tantum argumento complectar, quoniam unum, idemque plane evincunt.

CAPUT IV.

Solvuntur Conjecturæ P. Gravinæ ex Patribus inepte deſumptæ.

Quas exponit conjecturas P. Gravina ex Patrum teſtimoniis, aut ineptæ plane ſunt, & ideo contemnendæ, aut hoc unum inſinuant, magnum habendum eſſe electorum numerum. Et quod res ita ſe habeat, integram Patrum claſſem, quæ primo loco profert, in notis exhibeo (*a*) ut quiſque per ſe judicare facile

(*a*) In primis videamus, quanta fuerit eorum hominum multitudo, qui a languoribus & infirmitatibus a Chriſto Domino ſanitati redditi ſunt, inſignium interventu miraculorum. *Circuibat Jeſus* (narrat Matthæus) *totam Galilæam. . . ſanans omnem languorem, & omnem infirmitatem in populo. Et abiit ſermo ejus in totam Syriam, & obtulerunt ei omnes male habentes variis languoribus, & tormentis comprehenſos, & qui Dæmonia habebant, & lunaticos, & paraliticos, & curavit eos*. In hunc locum S. Chryſoſtomus Hom. XIV. in Matth.

le queat. Et primo quis inficias ibit magnam eſſe electorum multitudinem, ſi tot elapſa ſæcu-

K 4 la

Matth. num. 3. *Vide*, ait, ... *Evangeliſta quomodo non ſinngulos eorum, qui ſanati ſunt commemorat; ſed brevi ſermone innumera ſigna prætercurrat*. Apud Lucam hæc legimus: *Perambulabat magis ſermo de illo; & conveniebant turbæ multa; ut . . . . . curarentur ab infirmitatibus ſuis . . . . & virtus Domini erat ad ſanandum eos. Multitudo copioſa plebis ab omni Judæa, & Jeruſalem, & maritima, & Tyri, & Sydonis . . . . venerant, ut . . . ſanarentur a languoribus ſuis . . . . Et omnis turba quærebat eum tangere, quia virtus de illo exibat, & ſanabat omnes*. Explicans S. Ambroſius quod legimus initio Cap. V. *Cum turbæ irruerent in eum &c.* hæc habet: *Ubi Dominus multis impertivit varia genera ſanitatum, nec tempore, nec loco potuit ab ſtudio ſanandi turbas cohiberi; veſper incubuit, ſequebantur; Stagnum occurrit, urgebant*. De tribus defunctis ad vitam a Chriſto revocatis S. Auguſtinus hæc advertit: *Tres mortuos invenimus a Domino reſuſcitatos viſibiliter; millia inviſibiliter ſuſcitavit, quis novit? Non enim omnia, quæ fecit, ſcripta ſunt. Joannes hoc dixit: Multa alia fecit Jeſus, quæ ſi ſcripta eſſent, arbitror, totum Mundum non poſſe libros capere. Multi ergo ſunt alii ſine dubio ſuſcitati*. His intendens animum *Salmeron*, hæc ſcripta reliquit: *Meſſias tantis de cauſis tanta ſignorum plenitudine munitus ad nos inſtituendos, & doctrina ſua imbuendos venire debuit, ut nullus eſſet tam audax, tam impudens, aut refractarius, qui illi ſe opponera, atque in faciem auderet reſiſtere . . . . . Profecto ſine magnis, & multis prodigiis, & invictis ſignorum operibus, quibus nos in tanta veritate confirmatos efficeret, non obtinuiſſet . . . . Si multitudinem* (miraculorum) *ſpectes, numquam plura nec magis varia edi-*

ta

ſa ab exordio mundi uſque modo aňimo repetat & quæ ſubſequenter. At quænam argumentandi ra-

ta ſunt, ut merito a quibuſdam dictum fuerit: Chriſtus cum venerit, numquid plura ſigna faciet, quam quæ hic facit?

Jam vero Paulus de Palacio deſſerens de miraculo patrato a Chriſto in ſanatione auriculæ amputatæ a Petro in Horto ſervo Principis Sacerdotum. *An non*, ait, *ſublimiſſimum eſt. . . . quod non vulgari remedio, ſed opere miraculoſo Hoſtem crudelem, atrocem, impudentiſſimum auris reddita beneficio denaverit? Et quia Theologicum dogma eſt: quem Dominus ſanat, perfecte ſanat, ſi Chriſtus hunc & aure, & mente ſanavit, quod potuit eſſe majoris charitatis indicium?* Huc facit quod docet S.Thomas: *Dei perfecta ſunt opera, ut dicitur* Deuter. XXXII. *Non eſt autem aliquid perfectum ſi finem non conſequatur: finis autem exterioris curationis per Chriſtum facta eſt Animæ curatio; & ideo non conveniebat Chriſto, ut alicujus corpus curaret, niſi ejus curaret Animam*. Unde ſuper illud Joannis VII.: *Totum hominem ſanum fecit in Sabbato, dicit Auguſtinus: quia curatus eſt, ut ſanus eſſet in corpore, & credidit, ut ſanus eſſet in Anima. Specialiter autem Paralitico dicitur, dimittuntur tibi peccata, quia; ut Hieronymus dicit: Datur ex hoc nobis intelligentia, propter peccata pleriſque evenire corporum debilitates, & ideo forſitan prius dimittuntur peccata, ut cauſis debilitatis ablatis ſanitas reſtituatur: unde & Joannis V. dicitur: Jam noli amplius peccare, ne deterius tibi aliquid contingat: ubi dicit Chryſoſtomus, Diſcimus, quod ex peccatis nata ei erat ægritudo*; quamvis autem ut Chryſoſtomus dicit ſuper Matthæum: *Quanto anima eſt potior corpore, tanto peccatum dimittere majus ſit, quam corpus ſanare; quia tamen illud non*

ratio hæc eſt Logicis inaudita? Inſtituitur comparatio a Gravina inter majorem electorum, & minorem reproborum numerum, in qua quidem comparatione tota ſita eſt controverſia. Inde vero dum quæſtionem probandam aggreditur, quaſi rei propoſitæ neſcius, propoſitionem alteram, quæ a nemine in controverſiam adducitur, probat, comparationem interim relinquens. Niſi ergo Theologus noſter præter novitatem in Theologia inductam velit etiam novum tradere Logicæ præceptum, cum iis certe hucuſque notis conciliari nullo pacto poteſt hæc argumentandi ratio. Et quoniam S. Auguſtini teſtimonio, cui analoga ſunt alia SS. Patrum teſtimonia, maxime innititur P. Gravina, hinc ex ipſo S. Doctore ſolutionem repetam. Inquit ergo contra Creſconium lib. 3. §. 75. Tom. I. col. 473. *In paucis*, inquit, *eſt veritas*, *errare multorum eſt. Et ne verbis tuis tantæ illius ſterilis fæcunditatis contradicere videreris; cui dictum eſt: Multi filii deſertæ magis, quam ejus, quæ habet virum, adhibuiſti ex Evangelio teſtimonium: quoniam pauci ſunt, qui ſalvantur. Solve ergo quæſtionem, quomodo ipſe Dominus dicat: Quia arcta eſt via, quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt, qui inveniunt eam. Et idem ipſe alibi dicat: Multi ab Oriente, & Occidente venient, & recumbent cum Abraham &c. quomodo etiam in Apocalypſi demonſtretur eorum multitudo, quam numerare nemo poterat ex omni* gen-

non eſt manifeſtum, facit minus, quod eſt manifeſtius; ut demonſtraret majus, & non manifeſtum.

gente, & tribu, & lingua habentium ſtolas albas, palmaſque ferentium, qui preſſuras propter Chriſti fidem ſuſtinuerant. Quomodo iidem ſunt pauci, qui multi? Neque enim alterum horum eſt verum, alterum falſum, cum ſit utrumque Divinæ veritate prolatum, niſi quia iidem ipſi boni, verique Chriſtiani, qui per ſeipſos multi ſunt, in comparatione malorum, falſorumque itidem pauci ſunt. Sic multa grana, quibus horrea magna complentur, pauca dicimus in comparatione palearum. Sic etiam quod factum eſt ad Abraham de ſemine ejus, quod eſt Chriſtus, multæ ſunt ſtellæ, quas numerare non poſſumus, quibus tam grande cælum undique circumfulget, & paucas dicimus in comparatione arenæ maris. Forte ſtellæ ſignificaverunt ſpirituales Chriſtianos, maris autem arena carnales. Quamvis ergo juxta mentem tanti Doctoris tam magna in ſe ſpectata proborum, electorumque ſit multitudo, ut eam dinumerare nemo poſſit, tamen in comparatione reproborum pauci jure appellari debent electi. En quam expedite tota exſtructa novitatis machina ſua levitate exſufſletur.

CAPUT V.

ET ULTIMUM.

Corollarium.

HActenus univerſam Gravinæ doctrinam etiam per partes expendimus, atque ineluctabilibus ſuffulti præſidiis eam profligare ſtuduimus. Nunc ſumma capita novitatis ab eo indu-

ctæ

ctæ paucis contrahenda ſunt, ut intelligat quiſque uno intuitu, quam perniciosa Eccleſiæ futura ſit hujuſcemodi novitas, & quam perutile fuerit hic eam contriviſſe. Docet itaque tamquam dogma, & præcipuum caput, Fidem implicitam Chriſti ſufficientem eſſe ad æternam ſalutem in novo fœdere, cujus adjutorio *turmatim* ſalutem aſſequuntur ſempiternam Ethnici, Mahometani, Hæretici, Schiſmatici, Hebræi, qui re *Chriſtiani* dici debent, ſeu Chriſtiani Formales. Ex cap. I, Primæ Partis. Verum quid *Fidei implicitæ* vocibus intelligat, magis momentoſum eſt. Intelligit enim fidem unius Dei, in qua implicite continetur & Chriſti Fides ex cap. III. P. P. In probationibus autem ſingulis quam inepte ſe gerat Theologus noſter, præter ea, quæ ſingillatim perſecuti ſumus, judicare facile quiſque poterit teſtimonio Hugonis Victorini, quod tamquam probationem primæ Propoſitionis adducit, cujus verba in objectorum ſolutione primæ partis eo conſilio miſſa feci, ut opportune hic apponerentur. Ibi enim ad evincendam Infidelium ſalutem etiam in novo fœdere ſola fide implicita Chriſti, præter alia ineptiſſime expoſita, præfati Hugonis quoque profert verba p. 575., quæ hujuſmodi ſunt: *Sub Gratia manifeſte omnibus, jam & prædicatur, & creditur, & modus Redemptionis, & qualitas perſonæ Redemptoris*. Quæ vérba tantum abeſt, ut de Fide implicita Chriſti accipi debeant, ut potius explicitam Chriſti fidem neceſſario ſupponant; quemádmodum eam quoque expreſſe depoſcit l. 2. de Sacram. Parte *6*. cap. 2. ab ipſis Infidelibus, ſi qui ex iis in cæleſtem patriam ingredi contendant, ut vidimus cap. VII. P. P.

Nec

Nec ineptis tantum fundamentis, & ratiociniis complentur expoſitæ ab eo probationes, ſed artificioſum quoque, & affabre elaboratum articulum conflat p. 640., quo Janſenianæ hæreſis notam inurit iis, qui dogmati ab ipſo inducto contradicunt. Ad quam retundendam calumniam ſatis eſſet ab eo poſtulare, an ex Janſeniſtis hiſce ſalventur nonnulli? Si ita eſt, ergo qui negant Fidem implicitam ſufficientem eſſe ad ſalutem in novo fœdere, non negant quod dogma eſt. Si autem nemo unus ex iis ſalutem aſſequitur, non video, quid magis ſibi demeruerint Janſeniani iſti, quam cæteri Hæretici, & Ethnici, Mahometani, Hebræi &c., ut his omnibus turmatim in cælum convolantibus, unis Janſenianis intercluſus eſſe debeat aditus. Num inficiari dogma Gravinæ magis peremptorium eſt, quam propugnare hæreſim Pelagianam, Berruyerianam, & ipſam idololatriam. At appage nugas. Quid enim prodeſſet Judæis, Mahometanis, Gentilibus Chriſti adventus, qui illuxit, ut abigantur tenebræ ignorantiæ, & ſplendeſceret lumen veritatis in omnes gentes, ſi fides unius Dei Remuneratoris etiam in novo fœdere; ſatis eſſet ad ſalutem? Quid Apoſtolorum prædicatio ad omnes Gentes? Hæc enim nihil eis prodeſſet ad ſalutem obtinendam, quæ etiam ſine ulla fide in Chriſtum facile comparari poteſt juxta novam Gravinæ doctrinam. Jam vero alterum Gravinianæ doctrinæ caput eſt, electos non ſolum de Catholicis, ſed de omnibus plane hominibus numeroſiores eſſe reprobis. Et quoniam plane noverat Gravina Catholicos, etiamſi omnes, & ſinguli ſalvarentur, multo pauciores

eſſe

eſſe univerſis Acatholicorum generibus, hinc ut majorem Electorum numerum conficeret, turmas Ethnicorum, Hebræorum &c. electis Catholicis adjecit contra Eccleſiæ Doctrinam, (ex cap. IX. P. P. verſus finem) cui adſtipulantur ſibi invicem utriuſque fœderis paginæ & perpetuæ Traditionis tuba concinit (ut vidimus cap. II. & III. p. II.)

Quod vero capitale, & decretorium haberi debet, eſt novitas inducta in Eccleſia Dei a recenti Theologo, qui ea maxime delectatur (ex Cap. II. P. P.) eo quod conjecturis probabilem reddit (ex cap. I. Sect. P.). At quid ſentiendum ſit de juniori Theologo, qui in Eccleſia Dei novitatem inducat, quam probabilem quoque afferat, dijudicare quiſque poterit ex cenſura ab Alexandro VII., & Innocentio XI. inflicta hiſce duabus Theſibus, quarum prima, quæ eſt in ordine 27., talis eſt. *Si liber ſit alicujus junioris, & moderni, opinio cenſeri debet probabilis, dum non conſtat eſſe rejectam a Sede Apoſtolica tamquam improbabilem*. Altera vero, quæ eſt in ordine 3., hujuſmodi eſt: *Generatim dum probabilitate ſive intrinſeca, ſive extrinſeca, quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confiſi aliquid agimus, ſemper prudenter agimus*. Quænam autem probabilitas magis tenuis inveniri poteſt, quam ut evaneſcant plane, & fiant pulvis ex inducta veritatis luce conjecturæ, quibus novam doctrinam probabilem aſſerere veritus non eſt P. Gravina, quemadmodum ex omnibus fere hujus Diſſertationis capitibus ſatis conſtare arbitror? Si deſinat autem quævis quantumvis tenuis probabilitas, eo magis cen-

ſu-

ſuram incurrit, qui novam ſecutus opinionem prudenter ſe gerere contendat. Cave ergo ne dicas: *Si erravero, prudenter errare profecto cenſeo; quare erroris, neque pœnitebit me umquam, nec pudebit.* (*a*)

(*a*) Inquit P. Gravina p. 533.

F I N I S.

D. JOANNES-BENEDICTUS MITTARELLI

De Venetiis Abbas Generalis Totius Ordinis Camaldulenſis &c.

CUm librum, cui titulus eſt: *Diſſertatio Theologica adverſus novitates P. Joſephi Mariæ Gravina S. J. Cæli januas reſerantis &c.*, a P. D. Antonio Maria Gardini Veneto Presbytero & Monacho noſtro compoſitum, duo Theologi juſſu noſtro viderint, & in lucem edi poſſe cenſuerint, facultatem auctori præfato impertimur, ut eumdem librum typis mandare valeat, ſi iis, ad quos ſpectat, ita videbitur.

Datum Venetiis ex Monaſterio noſtro S. Michaelis prope Murianum III. Nonas Septembris MDCCLXVII.

D. J. B. Abbas Generalis Camaldul.

D. Anſelmus Coſtadoni Cancell. Camald.

NOI

NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di Reviſione, ed Approvazione del P. Filippo Roſa Lanzi Inquiſitore Generale del S. Officio di Venezia nel Libro intitolato: *Diſſertatio Theologica adverſus novitates P. Joſephi Mariæ Gravinæ S. J. Cæli januas reſerantis non ſolum Hæreticis &c. MS.* non v' eſſer coſa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimenti per atteſtato del Secretario noſtro niente contro Principi, e buoni coſtumi; concediamo licenza a Simone Occhi Stampatore di Venezia che poſſi eſſere ſtampato, oſſervando gl' ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite Copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. il 1. Settembre 1767.

(*Alviſe Vallareſſo Rif.*
(*Andrea Tron Cav. Rif.*

Regiſtrato in Libro a Carte 327. al Num. 2247.

Regiſtrato al Magiſtrato della Beſtemia a Carte 162.

Andrea Grattarol Segr.

Davide Marcheſini Segr.

Digitized by Google